






John Carter Brown  
Library  
Brown University









# COSMOGRA- PHIÆ, SEV MVNDI

SPHAERÆ, LIBRI TRES,  
noua methodo & dilucida  
conscripti.

AVTORE ANTONIO MIZALDO,  
MEDICO ET MATHEMATICO.

*Eiusdem Geographica quædam, cum docti  
Astronomi, & periti rerum cœli  
interpretis, Encomio.*



LVTETIÆ,

Apud Federicum Morellum, in vico Bel-  
louaco, ad vrbanam Morum.

M. D. LXVII.

EX PRIVILEGIO REGIS.

*SENTENTIA PRIVILEGII.*

**C**AUTUM est regia sanctione, ne quispiam alius, præter Federicam Morellum, Typographum Parisiensem, hunc librum, cui titulus habetur, Cosmographiæ, seu mundi spheræ libri tres, noua methodo & dilucida conscripti, autore ANTONIO MIZALDO MEDICO ET MATHEMATICO. necnon, Geographica quædam, cum docti Astronomi, & periti rerum cœli interpretis, Encômio, intra septennium, absque manifesto autoris consensu, sub Regis ditione imprimat, aut vendat. Qui secus fecerit, libris & pœna in sanctione æstimata, multabitur. Concessum fuit Priuilegium Molinis, die VI. Martij, 1566.

*Per Regem in consilio.*

C A M V S.





# Illustrissimo Adolescēti

HENRICO ENGOLISMÆO

*S. sedis Apostolicæ Protonotario, &  
Cæs. dei Cœnobiarchæ,*

ANTON. MIZALDVS S.P.D.



LVTARCHVS scribit, Ado-  
lescens illustris. Anteam  
Scytharum regē, aliquan-  
do iussisse Ismeniam excel-  
lentis. tibicinem bello ca-  
ptū, in cœna canere. Quē  
cū omneis admirarētur,

eique præ voluptate applaudent, solus ille  
iureiurādo affirmavit suavius quādoque au-  
diuisse equum hinniētem: vsque ad eū aureis  
habebat *κυστος* ille, à musica abhorrentes. Ex  
huius ovo veluti prognatos videre licet ho-  
die quamplurimos potentes ac nobiles, non  
dicam viros, sed etiam adolēcentes, ac iuue-  
nes, solo doctrinæ titulo, & diuitiarum fastu  
sibi eximiè placentes. Apud quos, ceu olim  
apud prædiuitē illum Midā Phrygiæ regem

(sed tamen auriculis asini præditum) doctiùs canere censetur Pan rusticus & fistulator pastorum deus, quàm diuinus & incomparabilis citharædus Apollo, Ad hos si quando veniunt eruditorum lucubrationes, vixdum perlecta semipagella, è manibus ilico excutiuntur, accersunturque libelli, quorum lasciuia pectus pulsatur, & in venas semina mortis agit. Ne ego in tam iniquos iudices, & laborum ignaros æstimatorum inciderem, ad te, clarissime Adolescens, diuertere visum fuit: qui tantum ab istis abes, quantum à coruo lusciniæ. Noui etenim te doctos libenter amplecti, audire, amare, ac iuuare: nec non Vraniam tibi familiarè facere, tantisper dum cosmographica degustas, & illa studiis, prælectionibusque tuis alternim accedere prudenter consulit doctis. ac nobiliss. vir IOANNES MORELLVS, gubernator & Achates tuus, nunquam satis dignè laudandus. Nam vnus de multis, vt est apud Horat. rectum nouit & vtile quid sit: quid preciosa valent, quid distent æra lupinis. Nec alia, opinor, ratione cosmographica tibi interpretari probat, nisi vt ex mundi & cœli cognitione, aspectu & fabrica, ad vnius inuisibilis & immortalis Dei sapientiam, gloriæque eius agnitionem ac maiestatem, ceu per gradus quosdam rapiaris, & adolescendo pede-

tentim ascendere discas & pergas . Nec temere, mea quidem sententia . Nam in quo, per deos immortales, certiùs Dei aternitatem cõtemplaberis, quàm in iis quæ aterna sunt & corruptioni minimè opportuna? A quo melius Dei omnipotentis virtutem intelliges, quàm à cœlorum virtutibus, à quibus quidquid apud nos est, illo ita disponente, effluit ac deriuat? Vnde veriùs ac fideliùs inexplicabilem Dei magnitudinem, ac cætera omnia quæ in rerum natura stupefcimus, colliges, quàm ab immensa cœlorum vastitate, omnia quæ in mundo sunt complectēte & ambiente? Legisti apud Regium psaltem & prophetam sepe numero, quòd *ὁ ἰσχυρὸς, διηγῶνται δόξαν τῷ θεῷ, πόσιον δὲ χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει ἡ σερραμα* . Præclarè itaque facis, Adolescens generosiss. qui vbi à consuetis studiis & exercitationibus tibi cessandum est, libenter in hãc cœli & mûdi pulcherrimam structuram incumbis: exemplo filiorum regum Persiæ: qui, vt tradit Plato, cosmographia, hoc est, cœli & mundi cognitione, à teneris imbuebantur, vt ad imaginem mundanæ Reipublicæ, suam aliquando regere, administrare, distribuere, ac formare condiscerent. Sed hæc satis, vel fortasse plura quàm opus fuerit, præsertim apud adolescentem literis & virtutibus, sublimioribus.

que rebus natum & additum. Finem itaque  
 facturum sum, vbi præclaram istam Adolescē-  
 tiā tuā exorauero, velle Cosmographicā hāc  
 lucubratiunculam tibi ex animo nūcupatam,  
 grato hilarique vultu excipere: ac ei angulum  
 quempiam in locuplete Bibliotheca tua de-  
 stinare, non procul à Centuriis Memorabi-  
 lium, quas haud ita pridem etiam tibi nuncu-  
 pauimus. Hoc si factum intellexero, & per te  
 fauor aliquis accesserit, reliquam cœli histo-  
 riam, cuius hīc duntaxat fabricam exhibe-  
 mus, simili methodo tibi depromem⁹: Zodia-  
 cunt, nimirū, cum suis partibus, adhuc Plan-  
 etas, præcipua cœli ornamēta, & Asterismos,  
 seu stellatas octauæ cœli imagines, cum iis  
 quæ ad illas pertinent. Interea foelici-  
 ter valebis, Mizaldi tui memor. Lu-  
 tetiæ, pridie B. Dionysij, Gallia-  
 rum Apostoli & martyris.

Anno reparatæ salu-  
 tis humani ge-  
 neris,

I 5 6 6.



COSMOGRAPHIÆ ANTONII MIZALDI MONLVCIANI, LIBER PRIMVS.

Vae sit mundanae sphaerae structura, quis autor, Quo digesta modo veniant elementa, quid illis Sit proprium, quae vis, & quae natura, quis ordo Caelorum, qui motus, & quae

AUTORIS scopus, institutum, & propositio.



forma, quot orbes,

Deinde quibus cyclis caelestis machina constet, Hic canere, & breuiter, clareque ostendere pergo. Ardua res sane, nostris quoque viribus impar: Audebo tamen, & mundi Rectore vocato Aggrediar. spernit virtus generosa labores.

Ergo, summe Pater rerum, Deus optime, cuius Tam pulchrū, tamque immensum sapientia mundum Condidit ex nihilo, & regit, assidueque tuetur, Dexter ades, paruumque tua bonitate Poëtam Aspice: qui caelos dum gestit scandere, quando Hic laudes celebrare tuas, tua pangere regna, Omni conatur studio & molimine, nugis

INVOCATIO.

*Quas tulit in Latium mendaci Græcia versu  
Non eget, aut Phœbo, aut Parnaso, aut fontibus Vllis  
Doctiloqui quosunque solent haurire poëta:  
Solum te sitiens, cui cœlum & sidera parent.*

Quid Mundus, & quòd diuinum numen lateat  
in omnibus eius partibus, à quo vnum con-  
cors statuitur corpus ex discordibus mem-  
bris, quod Vniuersum vocant.

## CAPVT I.

NARRA-  
tionis initiũ  
à Mundi dis-  
finitione, ac  
ei<sup>9</sup> ratione.

**Q**uid quid vbiq; vides, àer, cœlũ, mare, terra,  
Et, quem nõ spectas, ignis cõterminus astris,  
Vnum constituunt sub Mundi nomine corpus.

Quem, quòd adornatus, quòd pulcher, quòd que de-  
corus

Vndique visatur, xós uov dixere Pelasgi:  
Huius membra, licet variè distincta putentur,  
Sunt cognata tamen, miròque in fœdere perstant:  
Atque Dei numen spirant, passimque fatentur.  
Quòd si non esset, si non bene nexa maneret  
Moles tanta, Dei verbo fabricata parentis,  
Nec variam regeret mundi Prudentia turbam,

Prudentia  
& ratione  
mũdum re-  
gi & com-  
poni.

Præcipiens vt sit concors discordia, certè  
Non esset statio terris, non ambitus astris,  
Séque suis peterent vinculis elementa solutis:  
Aëra finitimum consumeret impiger ignis:  
Nec tempestiuas pluuias demitteret àer:

Nuda

Nuda foret tellus, æquorque extingueret ignem,  
 Aut igni potius piscosum aresceret æquor:  
 Non sua propositos seruarent sidera cursus,  
 Nôxque alterna diem fugeret, rursúmque fugaret,  
 Ac Phœbus terris lucem, radiósq̄ negaret,  
 Nec generandarum præberet semina rerum.  
 Non imbres alerent terras, non æquora venti,  
 Nec pelagus fonteis: paucis, discordia totum  
 Orbem turbaret; nisi concors fœdus inesset.  
 Ergo opus hoc vario constructum corpore mundi,  
 Membræque naturæ diuersa condita forma,  
 Vis diuina regit, verbóque & numine firmat.

Concordia  
 mundum, vt  
 omnia, ali.

Mundi, seu Vniuersi, compendiosa diuisio.

## CAPVT II.

**M**Vndus in æthereum, qui desuper imminet, orbem,  
 Inque elementorum, quæ subsunt, corpora, rectè  
 Diuiditur, velut Astronomi docuere, sôphique.  
 Postremum paucis sat agam percurrere, vt illinc  
 Ceu gradibus factis, & aperto limite, sensim  
 Ex imis, summi conscendam culmina cœli.

Mundi in  
 sua membra  
 præcipua di  
 uisio.

Ergo, elementaris mundus, telluris, & vndæ,  
 Aëris, ac ignis comprehendit corpora, quorum  
 Ordine naturæ breuibus descriptio verbis,  
 Nunc peragenda venit: facilem te trade, docebo.

Mundi ele-  
 mentaris par-  
 tes.

Terræ & partium eius descriptio breuif-  
sima.

CAPVT III.

**H**Vmani generis, Tellus, possessio pro qua  
Totrixæ, & cædes, & prælia, damna, labores

Terræ situs  
& circum-  
scriptio.

Surgunt, oceani circumque, intraque, sonante  
Alluitur fluctu passim: ac velut insula roto  
Eminet è ponto, & mediis attollitur vndis,  
Non immersa, volente Deo, cui summa potestas  
In terram, mare, cælos, aëra, denique flammam.  
Hanc multæ & variæ species hominû, atq; ferarû,  
Depictæq; colunt volucres: pars eius ad Arctos  
Aspicit, austrinis pars est habitabilis oris:

De Antipo-  
dibus, &  
Antichtho-  
nibus, leges  
libro tercio.

Pars tenet occasum, pars insuper exit ad ortum,  
Sub pedibusque iacet nostris, supraque videtur,  
Vt nos postremo satagemus scribere libro.  
Illa sinu pulchris distinctas floribus herbas,  
Et varios promit non vno è semine foetus.  
Huic insunt montes, cliui, colles, tumuliq;,  
Conualles, campi, rupes, fauces, iuga, prata,  
Syluæ, stagna, lacus, fontes, fluuij, atque paludes,  
Stirpes, & pagi, vites, populi, oppida, rura,  
Saxa, metalla, Ceres, vitæ opportuna tuendæ.  
Queis vnum, bonitate sua, Natura, Deusque  
Præposuere hominem, ac Regem fecere timendum.

Partes toti<sup>9</sup>  
terre qua-  
tuor, hiscete  
paribus.

Tota hodie Tellus parteis censetur habere  
Quattuor, Europam dico, Lybiamque, Asiãque,  
Necnon Americam à primo inuentore vocatam,  
Nil sequor vterius, ne dicar scriptor ineptus.



Terram in medietate Mundi, absque vilo  
motu, stabili pondere sub orbiculari fi-  
gura librari. CAPVT IIII.

Quod verè medium mundi sit terra, probari  
Inde potest, quia ad illam sedulo quæque  
recurrunt,

Quæ vel labuntur, vel eunt, tenduntque deorsum,  
Ceu ad centrum, in medio defixum corpore mundi,  
Ad quod  $\nu\omicron\sigma\mu\omicron\pi\acute{\alpha}\tau\eta\varsigma$  iussit grauiam omnia ferri,  
Ac naturali motu hinc discedere nusquam.

Vnde ferè cunctis immobilis illa tenetur,  
Librata in medio, & propria grauitate quieta:  
Vt visum est illi qui temperat omnia nutu.

Vndique enim in centrū concurrunt prona, globūmq;  
Explet compactum, densum, solidūmq; & opacū:  
Cui nulla est leuitas, grauitas quamplurima, nec non  
Tanta, vt nemo aliquo possit comprehendere sensu.

Quod situ leuiora, eadem mihi mobilia  
Ponit, si terræ globulum leuitate carere  
Annis, huic, certè, ne punctum mobilitatis  
Ascribes: quapropter erit grauis, & sine motu.

Adde quod ille pater rerum, mundi que creator  
Omnia quæ fecit, voluit motu, atque quiete,  
Sic distingui, vt tellurem iusta ratione  
Vna quies retineret, haberet cætera motus.

Hinc semper fluit vnda, aer agitatur, & ignis  
Non manet, ac certa nescit statione morari,  
Præcipuè tamen in cælo est vis maxima motus,

B ij

FERE ad-  
iectū est pro-  
pter Coper-  
nicorū the-  
seis ac theo-  
rias.

Terrā esse  
graue, stabi-  
lem; & im-  
mobile, de-  
mōstratur.

Omnia præ-  
ter unā ter-  
ram moue-  
ri, cōtra Co-  
pernicum.

*A quo, quæ subsunt cuncta inferiora, mouetur:  
Ut tibi perspicuè posthac monstrare studebo.*

*Præterea, motum quiduis certa ratione  
Debet ad immotum componi, & ritè referri.  
Ut nosci inde queat motus, valeatque notari:  
Iam cùm ipsum cælum assiduè moueatur, habebat  
Verè opus immoto & defixo corpore, qualis  
Censetur tellus: ergo est immobilis, atque  
Vnam de cunctis retinet mediam vndique sedem  
Immensi mundi, ac librato pondere pendet.*

*Cælum sur-  
sum pèdere,  
pècinde at-  
que terrã de  
orsum.*

*Quod te non valdè turbet, cùm pendeat orbis.*

*Cælorum, & nullo ponat vestigia fundo:*

*Ut de perpetuo constat, celerique rotatu*

*Illius, & motu vario rerum variarum*

*Quas habet, atque palam depromit nocte, dièque.*

*Hinc suspensus abit Phœbus cursu moderato,*

*Cum luna & stellis mundum lustrasque, fouesque.*

*Cælum ergo pendet sursum, tellusque deorsum:*

*Quæ nisi librato media esset pondere, certè*

*Non ageret cursum reliquis comitantibus astris*

*Phœbus ad occasum, ac nunquam remearet ad ortu:*

*Terrã spha-  
ricam esse ac  
rotundam.*

*Cynthia nec celes reget per inania bigas,*

*Nunc illos infrà irradians, illos modo suprã.*

*Est igitur medium mundi sortita theatrum*

*Tellus, & toto pariter sublata profundo,*

*Immota, ac stabili & defixo pondere pendens.*

*Ut fusè & variè monstratum est, atque probatum.*

Terram sensibilem magnitudinem non habere,  
 si ad totum mundum conferatur: cuius cen-  
 trum puncti instar esse cenferur.

CAPVT V.

**S**VNT varia causa quòd tellus debeat esse  
 Totius mundi centrum, mediúmque vocari:

Terricolis etenim sublimia sidera quæque,  
 Quàdo tenent ortum, occasum, summū quoque cœlū,  
 Mole sub æquali semper spectantur vbique,  
 (Si fumos tollis, nebulas, sparsosque vapores,  
 Qui maiora solent mentiri corpora, quàm sint.)  
 Quod nusquam fieret, ni mundi terra teneret  
 Centrum, quod nemo doctus distare negauit  
 A cœlo, stellis, ac astris, partibus æquis.

Adde quòd à quocunque loco, & quauis regione  
 Terræ, dimidium cœlum infrà semper habetur,  
 Et suprà: quod fit, quia tellus infima, verum  
 Illius est centrum, reliquas causas reticebo.

His positis, aliud cupio te noscere, nempe  
 Molem sensibilem ad mundum, cœlumque supremū  
 Terræ nullam esse, vt stellarum ostendere possunt  
 Aspectus varij, inuariata denique turbæ  
 Cœlestes, quemcunque locum calcaueris orbis.  
 Necnon dimidium cœli visum: insuper vna  
 Austrinas Vrsas, boreasue petentibus, vltro  
 Oblata, & præsens variatio facta polorum:  
 Necnon astrorum, pariter mutatio lucis,  
 Ac noctis: iunges quòd sidera cuncta videntur

Terram esse  
 centrū mun-  
 di ac mediū  
 demonstra-  
 tur.

Altera de-  
 monstratio  
 idē probans  
 quod suprà.

Terram sen-  
 sibilem ma-  
 gnitudinem  
 non habere,  
 si cum mun-  
 do confere-  
 tur.

Per totum mundum (cum Luna demito Solem)  
Parua, licet terra multò maiora ferantur.

Si minùs ista probas, propono denique in orbe  
Terrarum toto, simul æquidialia facta:

Quæque Mathematici inuenerunt organa, quorum  
Centrum cum mundi centro prorsum esse videtur.

Est etiam certum, quòd si quis scanderet orbem  
Lunæ, aut Mercurij, prospectaretque deorsum  
Terram, parte quidem minima non cernebat illam:  
Quamuis huic etiam Phœbeam lampada tradas.

Terram ad  
cælum esse  
instar pñcti  
exigui. Et  
Stellas esse  
terra maio-  
res, tribus  
exceptis.

Nam tota ad cælum exigui puncti instar habetur.  
De stellis secus est: seu fixæ, siue vagantes  
Hæ fuerint: rutilo quas sursum lumine passim  
Oseruamus: habent etenim sua corpora, terra  
Maiora: Hermetem tollunt, Lunam, Veneremque.  
Cætera, si quæ sunt, muti monstrare magistri  
Exactè poterunt: nec non vox viua docentis:  
Quæ quantum valeat, non est hìc scribere nobis.

Terram orbicularis esse figuræ, ac globosæ.

## CAPVT VI.

Sphærica telluri, vt cælo, datur vndique forma,  
Cui neque principium est vllum, nec denique finis:  
Idcirco terris non omnibus, omnia signa

Demonstra-  
tiones quòd  
terra sit glo-  
bosa et sphae-  
rica.

Conspicimus: nusquam inuenies fulgere Canopum,  
Donec Niliacas per pontum Veneris oras.  
Sic quærent Helicen, quibus ille superuenit ignis:  
Nam terræ tractus teretes, sparsique tumores,  
Eripiunt stellas oculis, visusque coercet.

Te testem das Luna tui glomerabilis orbis,  
 Quæ cum mersa nigris per noctem deficis umbris,  
 Non omneis pariter confundis fuscula gentis:  
 Nam prius Eoæ quærun't tua lumina turbæ:  
 Post, medio subiecta polo quæcunque coluntur,  
 Ac demum Hesperios pullato respicis ore.  
 Quod si plana foret tellus, simul, icta, per omnem  
 Deficeres mundum, toto spectabilis orbe.  
 Sed quia per teretem deducta est illa tumorem,  
 His modo, post illis appares, Cynthia, terris,  
 Ut Sol, & passim cœlorum sidera quæuis.

Terram esse  
 sphericâ de-  
 monstrant  
 eclipses lu-  
 nae.

Si minus ista probat terrarum orbem esse rotundum,  
 Ecce aliud: formam præ se fert corporis umbra  
 Obiecti, ut certo & facili docet Optica sensu:  
 Per Lunæ eclipseis totas, spectatur ad unguem  
 Terreni globuli proiecta umbra esse rotunda.  
 Ergo rotunda manet tellus, & spherica verè.

Altera pro-  
 batio quod  
 terra sit ro-  
 tunda.

Adde quod ipse polus mundi surgitque, caditque,  
 A borea oppositum, & contra, quærentibus austrum:  
 Eoisque citò, Hesperius tardè astra videntur:  
 Quod tumor vnus agit telluris sphericus: ex quo  
 Rursum colligitur terrarum formâ rotunda.  
 Tu causas alias de doctis excipe libris.

Alia demõ-  
 stratio orbi-  
 cularitatis  
 terra.

Aquæ locus, vsus & descriptio pulcherrima, ac  
 breuissima. CAPVT VII.

**I**N faciem terræ procumbit aqua, & fluit intra  
 Illius venas, ut fonteis excitet, atque

*Aqua in fa-  
ciē terræ pro  
cumbentis  
vsus ac ra-  
tio.*

*Vt sursum exhalans fiat vapor: isque redactus*

*In pluuiam, terras saturet, fœcundet, alâtque:*

*Aerâque ex ipso ducentem semina pascat.*

*Sub regione ergo crassa, imâque, aeris, vnda est,*

*Vnda, inquam, oceani, quæ terram circuit omnem:*

*Angustôque freto Herculeas ingressa columnas*

*Diffundit sese longè, latèque pererrat:*

*Diuersum nomen retinens, vt sunt loca per quæ*

*Transit diuersa, historiis passim celebrata.*

*Hæc terræ occultas perreptat adusque cauernas,*

*Et fluit, ac refluit semper, variûmque saporem*

*Vnde tam Induit, vt varia est tellus per viscera cuius*

*varius aqua Tendit: ab hac longo iam tempore flumina manant:*

*rum sapor, Flumina quæ pelago veniunt, iterûmque marinos*

*ἄνευ ἡν Ad fluctus properant, illinc reditura vicissim,*

*πάλιν ἔ- Vt tellurem onerent, deinde aëra, postea sensim*

*viols. Quâ venère fluant: vis dicam plurima paucis?*

*Hac abeant, illac redeant, & agantur in orbem*

*Assiduè, vegetentque, vt sanguis corpora, terram.*

*Hinc fit vt oceano manet vis omnis aquarum:*

*Oceanû esse Qui fluit, ac passim refluit, noctesque diésque:*

*aquarum Scandit, descendit, turget, gignit, parit: ex quo*

*parentem. Vndarum genitor censetur vatibus esse.*

*Quascunq; orbis habet Nymphas, hic edidit omneis,*

*Partim sub terra, partim supra, ingredienteis:*

*Partim etiam grauidis de nubibus egredienteis.*

*Aquam*

Aquam esse figuræ sphaericæ, seu rotundæ, ac globulum vnum cum terra facere.

CAPVT VIII.

**C**ORPVS aquæ totum formam retinere rotundâ,  
Ostendit signum positum prope littora ponti,  
Soluente à portu naui, longè que remota:

Nam sensim visum fallit, seque eripit vltro  
Ex oculis signum, medio surgente tumore  
Aequoris, in quocunque loco sedem sibi naui  
Ponat: idem poteris de ipsa quoque dicere naui,  
Cum dat se ventis: nam stanti in littore, velox  
Vanescit: quod aquæ donabis, iure, tumori.

Aquam esse rotundâ demonstratur.

Monstrabunt eadem scopuli visi, inde latentes:  
Si causas alias hîc à me fortè requiris:  
De tellure prius conscripta, eiusque figura,  
Consule: nam certum est corpus telluris & vndæ  
Vnum sphaeralem globulum simul edere: cuius  
Parteis detexit diuinumque, hominumque potestas,  
Ad proprios vsus viuentium, stante figura.

Aquam & terrâ vnum tantum globulum simul constituere.

Aeris locus, & regionum eius descriptio dilucida ac breuis: cû iis quæ ibidem generantur.

CAPVT IX.

**E**T terras, & aquas agilis completitur aer,  
Huc, illuc, variè diffusus, & omnia passim,  
Ne detur vacuum, perreptans: de que vapore  
Conformans pluuias, tonitru, igneis, nubila, flatus:  
Quidquid enim tellure ima, atque fluentibus vndis

Mira aeris natura & agilitas.

Vapor du-  
plex, &  
quid ex eo  
fiat.

Exhalat, sensim huc, mutato corpore, fertur:  
Idque vapor solet esse duplex: leuis, aridus, vnus:  
Vnde ignes sunt varij per inane volantes:  
Frigidus est alter, crassus, simul & grauis, ex quo  
Nunc rores bibulis latè funduntur in aruis,  
Nunc densæ incumbunt nebula, conuallibus imis,  
Aut plantis cælo fusæ sparguntur & herbis  
Pergrata pluuiæ: aut suspecto verbere grando  
Irruit: aut canis albescunt rura pruinis:  
Vel niuibus montes longè, vastèque teguntur.

Sûma aëris re-  
gio, & quid  
sibi fiat.

Hæc verò cuncta emittit circumfluus aer:  
Aptè distinctus triplici regione: suprema  
Accipit æthereum vicino ex igne calorem,  
Nec non vulcani semper sitit vsta camino:  
Hic vbi, si sicca & tenuis succenditur vna  
Materies, apparent astra cadentia cælo,  
Ignitæque trabes æstiuâ nocte micantes:  
Atque alia id genus humanas turbantia menteis.

Media aëris  
regio & eius  
natura.

Pars media, vt tradūt, verè est gelidissima, necnō  
Semper ab inflexu radiorum amota: malignum  
Frigus, & algentem latè complexa rigorem.  
Hic fiunt pluuiæ, nubes, ac fulmina, seuo  
Cum tonitru: variique agitantès nubila venti.

Aeris regio  
infima, &  
quid illi pro-  
prium.

Infima pars calida est, atque humida: nã vapor  
illam  
Humectat, liquidis exhalans iugiter vndis:  
Ac Solis radius, sic vel sic, vsque reflexus  
Calfacit: vt cælum, atque solum permittit, agitque:



Ergo æquè patiens est frigoris, atque caloris,  
 Alternasque vices, alterna sorte rependit:  
 Vere tepens, æstate calens, eadem horrida bruma.  
 Hic fiunt fatui ignes, ros, nebula, atque pruina:  
 Cetera de nostris tibi sunt noscenda Cometis:  
 Nempe illic multis describimus aera, nec non  
 Quæcunque illius triplici regione creantur.

Ignis locus, natura, & descriptio non illepidi.

## CAPVT X.

IGNIS ad æthereas volucer se contulit arceis,  
 Summâque completens imi fastigia mundi,  
 Flammarum vallo naturæ moenia firmat:  
 Tradita proinde fuit sedes sublimior illi,  
 Nec non nobilior, veluti res poscit, & ordo:  
 Nam quæ sunt cælo, & stellis propiora coruscis,  
 Debent nobiliora etiam, & meliora putari.  
 Perdoctè ergo prisca ignem scripsere propinquum  
 Contiguumque orbi Lunæ, sed luce carentem,  
 Vrentem tamen in primis, mirèque calentem.  
 Quod verum esse docet ratio: nam nocte videmus  
 Per sudum volitare faces, flammâsque vagari  
 Aera per liquidum, & delabi sidera cælo:  
 Quæ fiunt, sicci & tenues quòd in aera fumi  
 Altius ascendant, summòque crementur ab igni:  
 Qui nisi sub cælo verè esset, non vapor illic  
 Accendi posset, noctis que volare per umbras.  
 Sed ne, quæso, putes solum ignem summa tenere:

Liber ab au-  
 tore scriptus  
 de Cometis  
 & eorū por-  
 tentis.

Igni sedes  
 sublimior  
 descripta in  
 mundo infe-  
 riori, & cur

Ignè summi  
 aeris vrentem  
 esse demon-  
 stratur.

Nam tellus, aer, cœlum, mare, paceligatum  
 Concordi hunc norunt, vitali & lumine plenum.  
 Hunc corpus nostrū, & res mūdi quæque latentem,  
 Includunt, seu sursum spectes, siue deorsum:  
 Vnde mihi fœcunda nimis, mirandaque valde  
 Est semper visa, & semper dicta, atque putata  
 Vis ignis: siue hunc germen cœleste uocandum  
 Censes, aut aliud: nam mundo spargitur omni:  
 Omnibus in rebus latitat, sua semina sparsim  
 Distribuens. quod sic paucis ostendere pergo.

Ignem per  
 omnia mem-  
 bra & par-  
 tes mundi  
 sparsū esse.

Ignem per omnes mundi superioris & infe-  
 rioris parteis occultè spargi, & latitare.

## CAPVT XI.

Vidisti, ut credo, miranda incendia monteis  
 Ructare, & validas noctu dispergere flāmas:  
 Vidiſti crebrò quòd cum balearica plumbum  
 Funda iacit, volat, ac mox incandescit eundo:  
 Et quos non habuit, sub nubibus inuenit igneis.  
 Vidiſti persape oculos in nocte, repentè  
 Pulsatos, ignis scintillas mittere longè.  
 Vidiſti calidos ardenti exurgere fonteis  
 Tellure, ignitūmque antra exudare vaporem:  
 Sulphureosque lacus, vasto cum murmure, ab imo  
 Misceri, & rapidè tolli feruentibus vndis.  
 Vidiſti pariter fulgetræ & fulminis ignem  
 Aère grassantem, ac nullo ignis fomite factum.  
 Collisis etiam diffundi cernitur ignis

Pulchra de-  
 monstratio-  
 nes quòd v-  
 bique occul-  
 tè latitet  
 ignis.

E trahibus, duraque occulta ex arbore flamma  
 Excudi, montesque procùl fumare minaci  
 Ventorum impulsu, sese allidentibus ipsis  
 Saxis, inque vicem valido occurrentibus ictu.

Sic quoque cum dubij subeunt certamina belli  
 Ferro instructa acies, & totis viribus hosteis  
 Mutua confertis exercent praelia dextris,  
 Et caua terribili tinnitu pulsa reclamant  
 Arma, vomunt crebros gladiis tundentibus igneis.  
 Præterea, duris sonipes calcaribus actus,  
 Dum salit, & silices ferratis calcibus vrget,  
 Excudit rutilos igneis, soleaque latentem  
 In tenues acer scintillam dissipat auras.  
 Sic ferro defixa, & nervo impulsæ sagitta,  
 Aera per vacuum igne scitque, ardetque volando:  
 Usque adeo natura suis spectatur vbiq̃ue  
 Ignibus esse potens, occulto numine mundi.  
 Sed satis hæc fuerint: redeo ad summi aëris ignem:  
 Qui cum miranda leuitate ipsum aera vincat,  
 Altior haud dubie locus illi competit. ergo  
 Sub cœlo est eius sedes, & proxima Lunæ:  
 Ad quod nunc demum superest ascendere, quando  
 Huc elementa gradum nobis fecere decenter.

Ignis mira  
 fecunditas  
 & latens in  
 reb' natura.

Pulchra &  
 notatu sum-  
 me digna.

Ignem inter  
 elementa sum-  
 mum sibi ve-  
 dicare locū.



COSMOGRAPHIÆ ANTO-  
NII MIZALDI MONLVCIANI,  
Liber secundus.

**H**ACTENVS aerios tractus, terraëque,  
marisque,  
Ac ignis summi, validis excurrimus  
alis:  
Restat vt æthereas sedes, mea Musa,  
petamus:

Et sphaera mundi loca præstantissima, cælum  
Inquam, dum ventum est illuc, & spirat Apollo,  
Lustremus: mira rutilant hîc vndique flammæ,  
Quas tibi, vel mediis tenebris, lucere videbis.

Parasene  
ad sequentiã,  
annexã ha-  
bês inuoca-  
tionem.

Quare agè, pone metum, cœli rectrice vocata:  
Quam sic compella, sic supplex poscere perge.

VRANIE, quæ sacra regis penetralia cœli,  
Quæ superùm sedes stellatâque templa gubernas,  
Huc ades, & facilem dextram concede roganti:  
Sunt maiora etenim dictis dicenda, timetque  
Mens mea tam tenuis, mysteria tanta subire.  
Hac vbi protuleris constanti pectore, fortem  
Sume animum, ac vanam tellurem despice: quando  
Rebus in excelsis decus est, & gloria maior.

Quid cœlum, & quibus rebus in genere  
constet. CAPVT I.

**Q**uidquid habet elementa sibi super vndiq; stratū,  
Id cœlum priscis vulgari est nomine dictum:  
(Aut quod caletur stellis ardentibus: aut quod,  
Antiphrasi quadam minimè celetur in orbe:  
Vel quod vbiq; cauum spectetur ab omnibus esse,  
Vt Græcis κούλον propriè signare videtur.)  
Necnon aethereus mundus, quod currat, eaque  
Semper: vel rutilus pelluceat ignibus. Illi  
Multiplices insunt sphaera: gerit insuper vnum  
Centrum, axemque, polos, maiores atque minores  
Cyclos, cumque vagis stellis illustria signa:  
Quæ reddunt pulchram mira compagine, cœli  
Structuram: de qua nunc demum sermo futurus.

Vnde cœlū  
id nominis  
adeptū sit.

Cœlū quō  
bus constet  
partibus.

Cœlum esse vndique sursum: necnon prius de-  
scripta mundi elementa illi rectè substerni,  
figuramque orbicularem, non absque ratio-  
ne, præ se ferre, & habere. CAP. II.

**P**incipio, rerum custos natura, parensque,  
Dum circumfusis orbem concluderet astris,  
Vndique pendentem in medio, diuersaque membra  
Ordinibus certis sociaret corpus in vnum,  
Aerâque, & terras, flammamque, vndamque fluentem,  
Mutua in alterutrum præbere alimenta iuberet,  
Vt tot pugnantes regeret concordia turbas,  
Ac staret socio religatus foedere mundus,  
Quodque erat inferius, vireis hauriret ab alto,

Cur cœlum  
supra om-  
nia mundi  
elementa si-  
tum sit.

Cælo spherica figurâ quadrare demonstratur.

Excelsum posuit cælum, sub imagine magnæ  
Cuiusdam spheræ. dic quorsum & iure decenti.

Spherica nam verè perfectior esse figura  
Censetur cunctis aliis, quia non habet in se  
Principium, finemque: capax quòd denique, necnon  
Simplex & perfecta manet, sitque apta moueri:  
Præsertim circa medium (ceu vertitur æther  
Circâ ipsam terram, in medio quæ condita mundi est)  
Conuenit hæc igitur cælo perfecta figura,  
Ac eius spheris, & toti denique mundo:  
Conuenit & Soli, Lunæque, ac omnibus astris.

Hæc cælum possunt utcūque probare rotundum:

Aliæ demonstrationes, quòd cælum sit sphericū.

Quæ si non rident, poterunt fortasse placere  
Ista tibi: sequitur cælum, ut mundi omnia, summum  
Archetypum: cui vel finem dare, principiumque  
Nemo queat, velut in spherâ: manet ergo rotundum  
A simili: adice, quòd rebus natura quibusque  
Ad quas aptantur, propriam formam, atque figuram  
Exhibuit: cælum aptatum, factumque negabit  
Nemo, nisi ad lucem, necnon ut agatur in orbem:  
Ergo, iure bono illi quadrat spherica forma.

Demonstratur aliter cæli orbiculari figurâ conuenire.

Addes quòd nullos angulos motum remorantes,  
Spherica, de cunctis & multis, vna figura  
Præterdit: quare cælo bene commoda fertur.

Adijce quòd si quos cælum concluderet angulos,  
Absque loco corpus, iusta ratione, daretur,  
(Ut vacuum taceam, natura legibus omni  
Explosum mundo) fuit ergo rite rotundum.

Vis alias causas? si planum, vel lateratum  
 Esset, non eius partes æqualiter omneis  
 Terra distarent: & maiora, atque minora  
 Nunc hîc, nunc illic lucerent sidera nobis:  
 Quod nusquam factum videas: seclude vapores  
 Qui maiora solent proponere corpora quàm sint.  
 Sed satis hæc: cœlis breuitas gratissima res est.

Sidera non  
 videri vno  
 maiora loco  
 quàm alio.

Sphærarum, seu orbium cœlestium numerus  
 & ordo.

## CAPVT III.

Orbeis cœlorum duntaxat sæcula prisca,  
 Octo fecerunt: quibus vnum deinde secuta  
 Aetas adiunxit. Summus, quod mobile primum  
 Dicitur, extremis rapidè discedit ab Indis,  
 Mauros, Hispanosque petens: spaciòque diurno  
 Complect iter: celeri cursu cœlestia secum  
 Corpora cuncta trahens, illorumque insuper orbis,  
 Ceu totum parteis, nullo spectabilis astro.  
 Quem motum absoluit mundi super axe, polisque:  
 Vnde & mundanum vocitant, pariterque diurnum,  
 Acraptus: quòd se comitem huic violentia tradat,  
 Vt multis visum est: quanquam, me iudice, falsò:  
 Vt tibi paulò post satagam monstrare libenter.

Novem esse  
 ordines cœ-  
 lorum ac  
 Sphærarum.

Octauus variis astris est lucidus: atque  
 Curriculo annorum centum, vix perficit vnum  
 Rite gradum: sub eo Saturni sphaera locatur:  
 Deinde Iouis, post hanc Mauoris, Apollinis inde:  
 Post, Cypria, et mox Hermetis, venit vltima Lunæ.

Nullam esse  
 in cœlis vio-  
 lentiam.

Septem pla-  
 netarum or-  
 bes seu sphae-  
 ras.

Cælum ab oriente per meridiem in occasum  
orbiculariter volui ac reuolui : cui contra-  
rio & proprio motu renituntur spheræ in-  
feriores. CAPVT IIII.

*Demonstra-  
tur, cælum  
volui ab or-  
tu in occa-  
sum.*

**I**Am quòd ab exortu cælum voluatur, eátque  
Occasum versus, stella monstrant orientes,  
Et sese sensim attollentes, donec ad vnum  
Sit ventum cæli medium, Solémque cadentem  
Inuisant, æquè distantes, atque remotæ  
Inter se, & parili cursu semper gradientes.

Quod monstrare queunt etiã arctica sidera cuius:

*Alia demon-  
stratio à su-  
periori.*

Nam cyclos formât, & semper aguntur in orbem,  
Verè conspicuum, quia non merguntur in vndas,  
His saltem nostris boream spectantibus oris.  
Sunt aliæ causæ, quas hîc percurrere nolo,  
Quòd scateant illis veterum monimenta sopherum:  
Et nos quæramus certa breuitate placere,  
Ac facili, qua nil discenti gratius adsit.

Sed te scire velim, quòd re vera, atque probata,  
In primum, oppositis nituntur motibus, orbes

*Sphas in-  
feriores mo-  
tu contrario  
moueri, à  
prima.*

Omnes cælorum, quotquot descripsimus antè:  
Non aliqua ui, sed propriis uirtutibus acti.

Qui natiuus eis pro certo dicitur esse.  
Vnde petunt Gangem Hesperii à Gadibus, ut te  
Luna docere potest, de stellis omnibus una.

Cælestium spherarum magnitudines varias ac  
diuersas esse, vti etiam motus. Vbi de miran-  
da velocitate primi mobilis. CAP. V.



Quantò plus absunt cœli orbes, plùsue recedunt  
 A summo, tanto censentur, iure, minores,

Inferiores  
 orbes supe-  
 rioribus mi-  
 nores &  
 tardiores.

Velocique magis sursum procedere motu:

Quem licet agrè oculi possint deprehendere, cuique

Is tamen est proprius: nam à primo secius itur:

Qui vsque-adeò celeri fertur vertigine, vt omneis

Præuertat volucreis, ventòsque, ac fulmina vincat.

Quò ergo quæque magis sphaera est sublimis, in illa

Fortior est motus, mundùmque rapacius ambit:

Quare illud cœlum quod primum mobile fertur,

Maximum habet motum: quem nos hîc dicimus esse,

Tempore qui minimo, spacia & loca maxima trāsit.

Id quod agit summum rapida vertigine cœlum:

Vnde in niētū oculi totum percurreret orbem,

Ni obstarent aliæ sphaera quas voluit & ambit:

Cursum frenantes validum: ne protinus omnem

Voluendo rapiant secum terram, oceanùmque.

Demonstra-  
 tur, primum  
 cœlū omni-  
 bus aliis mo-  
 tum habere  
 velociorem.

O rem mirandam in primis, summèque stupendā!

Huc mortalis homo, huc cæca erige lumina, nosce

Quis tantam iubeat, tam paruo tempore molem,

Tam longas transire vias, iterùmque redire:

Nec cessare vnquam, ac nullum sentire laborem.

Hîc miranda tibi, & summè est veneranda potestas

Magna Dei patris, nec non sapientia: cuius

Verbum formauit cœlos, ac ordine miro

Digestit, motùque dedit lustrarier orbem,

Vt vireis hinc inde suas diffunderet illi.

Laudatur  
 immensa bo-  
 nitas dei cœ-  
 lorum con-  
 ditoris &  
 moderato-  
 ris.

Cœlestes sphæras omnes, stellâsque vniuersas,  
à se, & suis formis naturali motu agi, & non  
violento.

CAPVT VI.

**C**redibile est sanè, cœlestia corpora, necnon  
Orbeis iam positos omnes ex ordine, per se,  
Aque suis formis duci. sempérque moueri,

Cælum ac  
stellas à se,  
& suis for-  
mis moueri  
ostenditur.

Ac naturali gyro percurrere terras:

Natura est siquidem motore potentior omni.

Naturam verò appello legem omnipotentis,  
Supremique patris, quam prima ab origine mundi  
Cunctis imposuit rebus, iussitque teneri  
Inuiolabiliter, dum mundi secula manebunt.

Sic aqua semper erit mollis: sic ignis adurens:

Pulebra &  
notatu sum-  
me digna.

Sic stabilis tellus: sic semper mobilis aer:

Sic forma, & virtus herbis sua cuique tributa est,

Necnon arboribus, gemmis, animalibus ipsis.

Sic cælum circumuolui sine fine decens est,

Vsque adeo sibi constans est diuina voluntas.

Cœlestis sphærae & mundanae centrum, axis &  
poli: circa quæ tam reuolutiones, quàm mo-  
tus sursum fieri censentur. CAP. VII.

Quid cœtrū  
sphærae &  
poli.

**T**V centrum sphærae, punctum mediū esse putabis,

A quo si recti tractus ducantur ad ipsum

Circuitum, equales inter se semper habentur:

Vt docti monstrant: qui nos pariter docuerunt,

Puncta duo, cælum ad paruos vbi voluitur orbeis,

Esse polos mundi: quos linea ducta per unum  
Telluris centrum, gemino de cardine mundi,  
In propriis facit extremis, & ad illa mouetur  
Præcipiti, rapida, ac celeri vertigine cælum.  
Quòd verò mundi medium pertranscat hæc  
Linea, nec facile ex sese vertatur in orbem,  
Hanc dixere axem: nam motum non habet ullum:  
Non secus atque axis, circa quem multa rotarum  
Turba, suos cursus immoto perficit illo.

Hunc si forte putas robustum, ac materialem,  
Aut graue pondus & immensum gestare, profecto  
Erras: nam quidquid circumfert, illud habetur  
Simplex, diuinum, & terrestris corporis expers.

Axis sphaera  
similitudine  
demonstra-  
tur.

Axem mundi  
non esse ma-  
terialem.

De duobus cælestis sphaeræ & mundi polis, eo-  
rumque nomenclatura, situ, & natura.

CAPVT VIII.

**H**ic te scire velim, describam plurima paucis,  
Quòd proprium nomen sortitur vterque polorum:  
Arcticus est vnus, borealis rite vocatus:  
Austrinus, notius, nec non Antarcticus alter:  
Qui fugit à nobis, & nostro lumine semper,  
Donec ad Aequantem sit ventum, aequilone relicto:  
Vt tibi paulò post facili monstrabo Minerua.

Duorum po-  
lorum cælis  
nomencla-  
tura.

Ne tamen ignores hac in ratione polorum,  
Quòd quoties vnus spectatur, mox fugit alter:  
Vnius id faciente globo telluris: vterque  
Conspicius tamen est habitantibus Aequidialem.

Polos mun-  
di esse fuga-  
ces, nisi sub  
Aequatore.

Hunc ultra, & citra, verè fugit alter, abítque,  
 Vt mox dicemus, Musis, Phœbóque fauente.  
 His positis, quæ sit cœli structura, quibúsue  
 Ornetur cyclis, nunc demum scribere pergo.

Sex maiorum circularum cœlestis sphaera de-  
 scriptio, vsus, natura, & situs: imprimis Zo-  
 diaci, seu obliqui circuli. CAP. IX.

**M**Aiores cycli, qui cœlum partibus æquis  
 Distingunt, priscis numero sex esse feruntur:

Signiferi  
 seu Zodiaci  
 descriptio  
 & locus.

Signifer est vnus, bisseñis vndique signis  
 Conspiciuus, Tropicum attingens, obliquus, vtrúque:  
 Vnde κικλίου λόξου dedit illi Græcia nomen.

A summo Cancrum, Capricornum tangit ab imo:  
 Atque locis geminis complectitur Aequidiale,  
 Lanigeri & Libræ prima sub parte, graduque.  
 Illustreis per eum Phœbus moderatur habenas  
 Quadrupedũ qui currũ illius aguntque, trahuntque.  
 Hic etiam celeres agit vagæ Delia bigas:  
 Necnon & gemma cœlorum, quinque Planeta,  
 Hic peragunt varios, naturæ lege, meatus:  
 Nonnunquam sursum volitando, sæpè deorsum:  
 Quò sit, vt è cunctis latus fingatur vbique.

Hunc medium præcingit ecliptica linea: dicta  
 Quòd sub ea eclipsis semper veniantque, cadantque:  
 Illa eadem in geminas diducit linea partis  
 Zodiacum, nimirum aquilonem versus, & austrum:  
 Vt spectetur ibi quàm sit via lata πλαγίων.

Eclipticæ li-  
 neæ natura,  
 & vnde no-  
 mē habeat.

Hoc dempto cyclo, maiores atque minores  
 Censentur reliqui, ceu spherica virgula cuncti.  
 Quae tribuere gradus tercentum (ni bene fallor)  
 Omnes Cosmographi, decies sex si super addis  
 In longum, ducto ex aequali tramite tractu.

Sed te scire velim, quod habet sibi signifer axem,  
 Puncta, polos itidem seclusos, atque remotos  
 A mundi, coelique polis: quae circulus, vnus,  
 Arcticus est limes, necnon Antarcticus, alter.  
 His innixi orbes caelorum, quotquot habentur  
 Suppositi octauo, propria virtute mouentur,  
 Vt prius ostensum est: venit in super hocce notandum,  
 Quod valde grata est ecliptica linea Phaebo:

Atque ob id ἡλιακὸς κύκλος per crebrò vocatur:  
 Nam recta per eam semper graditurque, regitque  
 Igniuomos per eam currus, sub tramite fixo  
 Zodiaci: qui de cyclis caelestibus, agrè,  
 Et visus, aciemque fugit: tantumque notari  
 Ille potest, quantum reliqui vix mente videntur.  
 Nam nitet in summo, vt stellatus balthus, orbe:  
 Ac illustre facit disperso lumine caelum  
 Per noctem, hinc signis radiantibus, atque planetis.  
 Is ter vicenas parteis capit, atque trecentas  
 In longum: hisque octo in latum, vt fascia, pergit:  
 Quae cohibet positis errantia sidera metis  
 Vltra ne fugiant, illinc redeant, repetantque  
 Rursus iter: velut ars doctis demonstrat, & vsus.

Cyclum hunc Ζῳακτικὸν Graeci dixere, Latini

De solis si-  
 gniferi, &  
 eorum vsu.

Vnde eclipti-  
 ca nomen  
 habeat.

Quot parti-  
 bus, seu gra-  
 dibus, consistet  
 Zodiacus,  
 in longum &  
 latum.

Cur signi-  
fer circulus  
ex omnibus  
describatur  
obliquè.

Orbem signiferum: quòd gestet signa, vehátque  
Obliquo positu, mundi ratione polorum,  
A quibus haud æquè sursum distare videtur.  
Vel quia cum Aequante obliquos, ipsiisque Coluris  
Angulos componit, de sphaera corpore notos:  
Vel quòd, vt Aequator, passu non scandit eodem:  
Nanque eius partes Variè ascenduntque, caduntque:  
Nunc obliquè, aliàs rectè, lentèque, repentè  
Nonnunquam, vt sphaera præbet positusque, situsque.

Signiferi  
usus aliq̄ à  
superioribus  
diuersi.

Sed non te lateat, quòd cyclo semper ab isto,  
Stellarum errantium, ac fixarum quarimus ortus,  
Nec non occasus, & eorum tempora: datque  
Certum principium de signis, Laniger illi:  
Si mihi principium cyclo concedis inesse.  
Est etiam proprij motus mensura  $\pi\lambda\alpha\gamma\acute{\alpha}\tau\omega\nu$ :  
Quorum quæque loca, vt fixarum mōstrat ad vnguem:  
Et quàm lata via, & queis partibus adsit eclipsis.  
Cætera quæ dici possent, & quæ sibi verè  
Signifer ascribit, repetam, tradamque libello,  
Cui nos Zodiaci nomen præponimus, in quo  
Nil nisi signorum naturas tradere conor.

Signorum Zodiaci ordo, & nomenclatura.

CAPVT X.

Signorum  
duodecim  
Zodiaci no-  
mina.

SI tamen interea satagis cognoscere quæ sint  
Signa, quibus toto vehitur Sol aureus anno,  
Zodiacum peragrans, paucis tibi versibus hæc sint,  
Laniger, & Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,  
Libra,

*Libra, Nepa, Arcitenens, Capricornus, Hydrocho-  
usque,*

*Et duo caelesti radiantés lumine Pisceis.*

*Sena priora vocant borealia (nempe quòd Arcton  
Affectent) austrina alia, ut situs indicat, & pars  
Signiferi. sed in his alibi versamur abundè.*

Aequinoctialis circuli, seu Aequatoris, descriptio,  
vltus, natura & situs. CAP. XI.

**S**igniferum Aequator, rectus secat: inque priori  
*Lanigeri, Libræq; gradu lucē equat & umbras,  
In media caeli & mundi regione locatus:*

*Is ferme à Cancro vicenis, atque quaternis  
Particulis procul est, totidem simul à Capricorno,  
Parte ab utraque videns axem: ex quo diuidit omne*

*Circuli Ae-  
quinoctialis  
descriptio et  
positus.*

*In tractus geminos caelum, notium, boreumque:  
Necnon Signiferum totum, sub quo hospite Phœbus  
Exaequat paribus numeris, noctesque, diesque,  
Quoquò te vertas, ut nomen personat ipsum.  
Adde quòd hunc toto gradiens describit in anno  
Bis, dum Lanigeri & Libræ primordia calcet,  
Atque cita rapitur summi vertigine caeli.*

*Ex illo manat terræ distantia lata,  
Signiferi graduum quæ declinatio: necnon  
Stellarum, pariter telluris quæ via longa:  
Huius praesidio discrimina lucis & umbræ,  
Excipimus, certòque modo venamur ubique.  
Hic motus primi est mensura ac temporis, illinc*

*Quæ habeat  
vltim Ae-  
quator.*

Algorus cir-  
culi Aequi-  
noctialis .

34

ANTONII MIZALDI

Signorum ascensus in sphaera utraque petuntur,  
Nec non descensus, ut nos docuere periti  
Astronomi: quos fac adeas, ut caetera noscas:  
Nam perdifficile est complecti singula versu,  
Ac tot scribendis vix adsunt ocia nobis.

Meridiani circuli descriptio, natura, situs  
& usus. CAPVT XII.

Circuli me-  
ridiani posi-  
tus & de-  
scriptio.

**H**ic paribus spatiis occasum spectat, & ortum  
Circulus, ac geminum cōcurrit semper ad axem:  
Semper & in puncto capitum versatur vbiq̄ue,  
Atque secat totum medio de limite cœlum.  
Sub hoc, tam tenebras, quàm lucem Phœbus ab alto,  
Diuidit ex æquo: sed non manet, estque meanti  
Mobilis, ac sedem varians: nam si quis Eoos,  
Hesperiosue petit, quando illi prosilit alter,  
Cum tellure polum is, re uera, & tempora mutat.  
Hinc tu perfacile excerpis, tot, tamque frequentis  
Esse *μικροίς*, quot connumerantur ab ortu,  
Occasum versus, capitalia punctula (Zenith  
Dixerunt Arabes) quæ centum, ni bene fallor,  
Cosmographi faciunt, si octogena insuper addis.  
Ergo, quisquis ad occasum rectà, vel ad ortum  
Tendit, iure *μικροίς* mutatque, facitque  
Crebrò nouum: sed si rectà peragrarè polorum  
Alterutrum versus sat agit, sanè ille sub vno  
Deget perpetuò, quidnam vis amplius? omnes  
Astronomi motus ad eum referuntque, diemque

Vbi & quã  
do fiant no-  
ui meridia-  
ni.



*Incipiunt: stellæ petitur distantia ab illo,  
Aequantem versus, velut ars demonstrat, & vsus.*

*Huncce cyclû sursûm attingēs, mediã tibilucem,  
Sûl vehit: & tenebras medias, de nocte, deorsûm.*

*Vnde dies, noctēsque equali limite truncat,  
In matutinum, & vespertinum quoque tempus.*

*Quare defixum quacunque in parte putabis  
Essē vnum: cui sunt vsus, & commoda mille,*

*Exponenda locis aliis: sed scito tamen, quòd  
Quisque mouētos, quavis regione, situque,  
Anglos semper habet rectos cum Aequante dierum:*

*Et cum Finitore secat sub partibus æquis  
Quattuor in tractus cælum, vt mox scribere pergo.*

*Vsus & cõ-  
moda circuli  
meridiani.*

*Meridianũ  
cum horizõ  
te diuidere  
cælũ in qua-  
tuor partes  
æquales.*

Horizontis seu Finitoris descriptio, vsus,  
natura, & situs. CAP. XIII.

**C**ircumfer facileis oculos, vultumque per orbem  
In campo, quẽ nulla præmant obstacula magna.

*Quidquid erit cæli sursûm, terræque deorsûm,  
Quã coit ipse, ferè nullo discrimine, mundus,*

*Redditque, aut tollit fulgentia sidera nobis,  
Cingendo tenui spheralem limite tractum,*

*Verticis à puncto distans æqualiter, illud  
A Græcis proprio de nomine fertur ὀρίζων,*

*Qui medium sphæræ, & superum distinguit ab imo:  
Atque à nocte diem secernit: punctãque ponit*

*Ortus stellarum atque occasus: denique reddit*

*Finitoris seu  
Horizontis  
pulchra de-  
scriptio.*

Horizon  
multiplex  
vss.

Signorum ascensus & descensus manifestos:  
Indicat & mundi partem boream, notiamque,  
Necnon Eoam, Hesperium quæis iungito tractum,  
Ventorumque situm, & surgentis, deinde cadentis  
Phæbi defixas sedes, vbicunque locorum.

Offert præterea, quæ semper sidera nobis  
Se prodât, & se occultent, veniant, fugiantue:  
Et quantus sit quisque dies, cum nocte, recludit:  
Paucis, quæ fuerant sub terra, fert in apertum:  
Atque poli, vt Græci dicunt, ἐξάμωτα, necnon  
Aequantis, facili demonstrat, & edocet arte:  
Ac domibus cœli vulgata exordia ponit.

Horizon  
duplex, &  
eius ratio.

Ast duplicem hunc faciunt: vnus directus habetur,  
Quod rectos angulos statuat cum Aequante, polúmque;  
Agnoscat sub eo, peregrino nomine Zeinth  
Astronomis dictum, vel punctum verticis, in quo  
Vnum contingit, refecâtque μὲν ἡ βόρρην Aequans,  
Vt post hæc facili, atque breui, sermone docebo.

Obliqui ho-  
rizonis de-  
scriptio.

Alter it obliquus recto contrarius, omni  
Parte fugax ad quam migrando verteris: hinc est,  
Quod quocunque vagæ tulerint vestigia plantæ,  
Has modò terrarum, nunc has gradientis ad oras,  
Siue austrum versus tendat, boreamue rigentem,  
Hesperiosue petat, vel deducatur ad Indos,  
Fit nouus, & visu circum spectabilis vno:  
Nunc aliud cœlum ostendens, aliudque relinquens:  
Pròque polo punctum cognoscens verticis: à quo  
Aequator tantum distat, quantum polus ipse

Mundi à Finitore: poli & distantia quanta est  
 Verticis à puncto, tanta Aequatoris habetur  
 A Finitore illic declinatio: quæ sunt  
 Hic reliqua, excipies de viua voce magistri:  
 Qui, quæ non patitur lex carminis, aut medicina  
 Quam tracto, facio, depromo, rite docebit:  
 Monstrabitque polos maiorum denique  $\chi\upsilon\lambda\lambda\omega\nu$   
 Partibus esse procul nouies denis, nec eo plus  
 Ipsis à cyclis, illorum vnoue quadrante:  
 Quotque  $\mu\epsilon\omicron\upsilon\mu\epsilon\iota\omicron\iota$  ponentur, vel statuentur,  
 Tot Finitores ponendos, ac statuendos:  
 Inque aliis perget, nec quidquam doctus omittet.

Horizontis  
 vsus alij  
 multiplices.

Duorum Colurorum vtraque solstitia & æqui-  
 noctia distinguendum, descriptio, vsus, natura  
 & situs.

CAPVT XIII.

Hic duo scribendi restant, pro more recepto,  
 Maiores cycli: qui quattuor antè relatos,  
 Séque secant, gemino coeuntes cardine mundi.  
 Hos, quòd cernantur mutili, dixere  $\kappa\lambda\acute{\epsilon}\rho\sigma\sigma$ ,  
 Tempora signantes anni: cœlúmque per astra,  
 Quattuor in tractus resecantes, partibus æquis.  
 Vnus Solstitia exhibet, Aequidialia ponit  
 Alter: vix alios vsus retinentque, feruntque:  
 Ni quòd ab Astronomis nunc declinatio Solis  
 Maxima spectatur, necnon numeratur in vno.  
 Adde quòd in parteis parileis, vel, si placet, æquas,  
 Ambo secant verè Aequatorem, Signiferúmque:

Vnde dicti  
 coluri, &  
 quæ habeant  
 usum.

Colurus, de-  
clinationū  
Zodiaci di-  
stinctor.

Sed postremi ascendentem, pariterque cadentem  
Partem distinguit, nec non determinat alter.  
Tu reliqua ex libris disces, doctisue magistris:  
Quando hinc à nobis non possunt omnia tradi.

ADMONITIO in præcedentia & sequentia.

**D**ICTI maiores cycli (tollatur ὀρίων,  
Atque μεσημέριος) motu cœli rapiuntur:  
Ac sunt, si nescis, in terris omnibus ydem

Tam maio-  
res, quàm  
minores cœ-  
li circulos,  
cœstare par-  
tibus 360.

Vnà cum reliquis, quos inscripsere minores.  
Sed te nosse licet, maiorum, siue minorum  
Vnumquemque cyclum, ter centum agnoscere parteis  
Cum sexagenis, graduum de nomine dictas.

Tēpus cum  
in cœlo, tum  
sp̄ terra om-  
nia mutare.

Quarum quæque refert stadia in tellure, marique  
Quingenta, vt libro satagam monstrare sequenti.  
Est & noscendum, quòd sedes mutat vtrumque  
Solstitium: mutant itidem æquidialia: causam  
Ex libris quæres, vel de doctore perito.  
Nam tot scribendis mihi libera tempora desunt,  
Vt sæpè admonui, moneo rursus, atque monebo:  
Nec reticebo, quòd hæc non sunt de pane lucrando.

De quibusdam aliis magnis circulis in cœlesti  
sphæra describendis & imaginandis.

CAPVT XV.

Circuli lon-  
gitudinum,  
ac latitudi-  
num stellarū  
& locorum  
terre.

**N**ON ignorabis, quòd sphære connumerantur  
Magni alij, certique cycli, nunc egredientes  
Signiferi, mundi que polis per centra πλανήτων,  
Nec non stellarum fixarum: nunc variorum

*Tangentes passim capitalia puncta locorum.  
Vt sua dent stellis loca vera, alta, atque remota.*

*Sunt & quos prisca cyclos dixere domorum,  
Qui in toto formant duodena palatia caelo:  
Quorum naturas, usus, formas, rationes,  
Cum libris poterit doctor monstrare peritus.*

*Circuli duo-  
decim do-  
morum caeli.*

QUATUOR circulorum minorum caelestis  
sphaerae descriptio, usus, natura ac situs: in pri-  
mis Tropici Cancrī, siue aestivalis & solstitia-  
lis circuli. CAPUT XVI.

*Iam dictis cyclis poteris sociare minores  
Qui per inaequales diducunt caelica parteis:  
Qualis censetur quem verè Cancer adoptat,  
Aestiuūque sibi desumit nomen ab aestu.  
Nam Sol hīc propriū motus dum contigit altam  
Metam, praevalidos aestus iaculatur ad ima:  
Atque illinc satagit sensim descendere, nec non  
Vorsuram facere, hinc Tropico dans nomen, & vni  
Solstitio: non quòd vel cesset, vel stet ibi Sol,  
(Qui solitum cursum nunquam est dimittere visus,  
Ni fortasse semel, Domino sic precipiente.)  
Sed, quòd per lucas aliquot, nusquam variantur  
Nobis ad sensum, quævis Umbrae capitales,  
Et summæ: nec item crescat, vel sit minus ex se  
Luminis ac noctis spatium: coniungimus istis  
Inde datum nomen Tropico, vt sensere priores,  
Quòd Sol à borea hīc sese convertat ad austrum.*

*Ratio nomē-  
clatura Tro-  
pici aestivi.*

*Vnde solsti-  
tio datū fue-  
rit nomen.*

Pro magna bonitate Dei: qui protinus vni  
Omnia non confert, sed multis diuidit, vt vult.

Tropici Capricorni, seu brumalis & solstitialis  
alterius circuli, descriptio, vsus, natura & situs.

## CAPVT XVII.

**A** Bruma cyclus brumalis rite vocatus,  
Frigida fulgentis capit incunabula Solis:

*Circuli brumalis, seu Tropici Capricorni vsus & descriptio.*  
Nam veluti hic nascens, sensim perreptat in altum:  
Ac lucem gratam, tenebris cedentibus, illinc,  
Crescendo reuocat, tepidis comitantibus auris  
Paulatim, proprio motu, proprioque rotatu,

Quo tibi presentem cyclum describere pergit,  
Dum partes primas rigidi scandit Capricorni,  
Ac agitur subita cœli vertigine summi.

*Solis cœuersio tempestates anni mutat.*  
Hinc ad nos alacris rediens, nostrumque renisens  
Inde solum, austrinis frigus, glaciemque, niuesque  
Insinuat sensim, factusque remotior illis,  
Impertit nobis æstum, gratumque calorem:  
Vt fructus faciant, hominumque, boumq; labores,  
Frigore laxato, niuibusque, & grandine fusis.

*Distãtia Tropi-  
corum ab  
alijs circulis  
sphæra.*  
Terdenas partes Antarcticus, ac duodenas  
Distat ei: Aequator vicenas atque quaternas,  
Vnam si demas, necnon terdena minuta:  
Id quod rite potes Tropico præscribere Cancrî,  
Nam Phœbi tanta est nunc declinatio summa.  
Hinc tu perspicuè noscis, quod vterque cyclorum  
Istorum est Solis limes: nam non abit vltra,  
Seu sursum spectes, seu deorsum lumina flectas.

Deinde

Deinde quòd æstiuus maiori extenditur arcu  
 Supra tellurem, quàm subter: quò fit, vt illinc  
 Maiorem lucem Titan mortalibus edat,  
 Atque breuicis tenebras, nisi maus dicere noctes.  
 Oppositum brumalis habet: quapropter adauget  
 Noctes, & luces breuiat borealibus oris:  
 Nam secus austrinis contingere, nemo negabit.

Pulchra ad-  
 modù corol-  
 laria ex sis-  
 perioribus  
 deprompta.

Circuli Arctici, seu borealis, descriptio, vsus,  
 natura & situs. CAP. XVIII.

VNus ab his superest, extremo proximus axi  
 Circul<sup>o</sup> ad boreã: qui quòd geminas tenet ἀρκτικός  
 Ἀρκτικός à Græcis, vulgari nomine fertur,  
 Sidera concludens liquidum fugientia pontum:  
 Quæis occasus & ortus abest, per climata multa.  
 Ille, polo mundi vicinis, atque quaternis  
 Distrahitur gradibus, si tollas pauca minuta:  
 Signiferique polo totus describitur idem:  
 A Cancri tropico terdenis ac duodenis  
 Distans particulis, nisi me sententia fallit.

Ratio nomē  
 clature Ar-  
 ctici circuli.

Te tamen hinc nouisse velim, quòd circulus iste  
 Multis Astronomis, veluti Proclo, & Cleomedi,  
 Semper visarum limes proponitur esse  
 Stellarum: hinc varius, pro cœli climate, habetur:  
 Hic maior, minor illic, denique maximus isthic.  
 Vt sphaera est positus, necnon ipsa vna polorum  
 Ad Finitores varia exaltatio, nota  
 His qui ex Aequante ad boream procedere tentant:

Descriptio  
 & vsus Ar-  
 ctici circuli,  
 secundum  
 Proclum &  
 Cleomedem

Græcorum  
opinio de  
magnitudi-  
ne circuli  
Arctici, nō  
omnibus  
probat̃ur.

Ergo, sub Aequatore videbitur Arcticus esse  
Nullus: propterea quòd ibi cuncta astra pateſcunt,  
Nulla occultantur: sed mox lateſcet eunti  
Ad boream, sub quo narratur maximus eſſe:  
Nam cum Finitore, Aequantēque conuenit illic.  
Quod quàm ſit verum, doctos cenſere relinquo.

Circuli Antartici, ſiue australis, deſcriptio, vſus,  
natura, & ſitus. CAPVT XIX.

Dubium an  
Vrſe ſint ad  
polum alte-  
rius hemi-  
ſphærę.

**H**ic nobis reſtat de paruis quattuor, vnus  
Circulus, auſtrinas qui claudit & obſidet Vrſas  
(Si tamen hęc aliquas vltro concedis aſſe)

Arctoo oppoſitus, quod nomen præbuit illi.  
Quantum noſter abeſt ſublimi à cardine mundi,  
Tantum aduerſo cenſetur proximus iſte:

Quem terris preſſum, notius proſpectat Horizon:  
Atque Capri tropico terdenis ac duodenis  
Partibus eximitur: velut à Cancro borealis:  
Signorūque poli motu formatur ad vnguem.

Polos maio-  
rum & mi-  
norum circu-  
lorum eoſdē  
eſſe.

Sed non intactum maneat, quoſcunque minores  
Hoſce cyclos, retinere polos maioribus vſque  
Communes: quibus eſſe paralleli aſpiciuntur:  
Ac ſemper ſpatiis æqualibus vndique abeſſe.

Circulos alios minores, à iam dictis, quampluri-  
mos in cœleſti ſphæra deſcribi, ac fingi.

CAPVT XX.

**N**on ignorabis cœlum pleroſque minores,  
A modò deſcriptis, alios agnoſcere cyclos:



Vt sunt qui Ultra Aequatorem, citráque diurno  
 Solis finguntur motu, lucémque figurant  
 Ac tenebras, quavis terrarum parte, sitúque,  
 Siue aequales, seu vulgares respicis horas:  
 Et quotquot circa capitalia puncta locorum  
 Descripti, spatium latum boream modò versus,  
 Ac austrum modò, si ex Aequante recesseris illuc,  
 Ostendunt: mutantque horas & tempus, eundo.

Circuli lucis  
 & noctis.

Circuli la-  
 titudinum  
 regionum.

Addam quos fixa mensurant, atque planetae,  
 Illorum vt pateat data declinatio sursum.  
 Si quæris reliquos, librorum docta supellex,  
 Aut sphaerae interpres facili tibi suggeret ore:  
 Qui sint, quid valeant, quos vsus denique præstent.  
 Sedulus hunc audi, hunc perquire, hunc vise libenter.  
 Sed tantum id peragent, quos ingeniosus amavit  
 E quibus, ac ardens euexit ad æthera virtus.

Circuli de-  
 clinationis  
 stellarum.

Nullos circulos, nec item axes cum suis polis,  
 motum ex se habere: imò ne in cælo re vera  
 subsistere.

CAPVT XXI.

NE tu me quidquam dicas celasse, monebo  
 Nullos in cælis cyclos agnoscere motum,  
 Qui sit eis proprius, qualem tibi sidera formant.  
 Sed Finitorem, atque mensuræ quæ bene tolles:  
 Non quòd se moueant, sed quòd mutantur eundo,  
 Atque subinde noui veniât, surgántque, cadántque:  
 Quod potes & reliquis cælorum ascribere cyclis:  
 Quos mutari adigit mutatio longa locorum.  
 Hinc, tantum poteris boreæ procedere ad oras,

Nullos circulos in cælo  
 moueri ex  
 se.

Mutatione  
 locorum, nõ-  
 nullos circulos  
 mutari.

Vt Cynosura tuo Veniat cum vertice rectâ:  
 Et Cancrî signum liceat capitale videre:  
 Austrum præterea versus concedere tantum,  
 Vt liceat rutilum sidus spectare Canopi,  
 Et capiti impendere tuo signum Capricorni.  
 Quod nauas superant hodie qui per mare currunt,  
 Atque nouas magnoscrutantur pectore terras.

Nautas &  
 viatores, no  
 uos meridia  
 nos & ho  
 rizontes si  
 bi cõparare.

Hi stellas, cœlumque nouum sic, semper eundo,  
 Inueniunt: Finitorésque,  $\mu\epsilon\sigma\sigma\mu\epsilon\tau\alpha\pi\lambda\omicron\sigma\varsigma\ \pi$   
 Mille nouos, & mille vagos, & mille fugaces:  
 Nullum Aequatorè, nullum Cancrû, Capricornum  
 Nullum: ni veniant sub eos longè peragrando.  
 Concludes ergo, hos cyclos nobis remoueri,  
 Atque propinquare, huc nunc, nũc illuc properando:  
 Sed mutare locum nequaquam, vt scripsimus antè.

Porro, non credes illos consistere, & esse

Nihil graue  
 aut materia  
 le in cœlo es  
 se. Vnde cen  
 sendi non  
 sunt corpo  
 rei, vlli cir  
 culi-

Re vera in cœlis maiores, siue minores  
 Cyclos corporeos: nec rursum axesque, polosque:  
 Nil graue sursum habitat, nil illic materiale est,  
 Et nil compositum, simplex est vndique cœlum.

Pulchra di  
 gressio in  
 laudem ar  
 tificum &  
 inuentorum  
 Theoricarû  
 & circulo  
 rum cali.

Te tamen admoneo, si gaudes fortè moneri,  
 Hos laudare homines, reuereri, semper amare,  
 Qui summo ingenio, & superis dictantibus, olim  
 Talia sunt nobis commenti, vt cœlica quæuis  
 In nostrum veniant vsum, & monstrantur apertè.  
 Fœlices animæ, quibus hæc cognoscere primum,  
 Inque domos superas tam dextro scandere cursu  
 Cura fuit: nostrisque oculis distantia longè

*Sidera, ceu digito, notissima reddere: summè  
 Fœlices tumuli, quibus insunt ossa virorum  
 Tantorum: ô cineres bis, térque, quaterque beatos!  
 Credibile est illis violis innaſcier, atque  
 Lilia, ſtelligeròſque deos habitare ſepulchra  
 Clarorum Aſtronomùm, & natorum ſidere fauſto:  
 Quis fuit, eſt, & erit, notum per ſæcula nomen.*

Cœleſtem ſphæram, poſitis hæcenus circulis  
 multiplicibus circunſcriptam, duplicem eſſe:  
 hoc eſt, dupliciter, reſpectu terræ, con-  
 templari. CAPVT XXII.

**P**aulò antè expreſſi maiores atque minores  
 Cycli præcipui, propria ſub imagine cœlum  
 Obiectant oculis: ſummum dico, atque ſupremum:  
 A quo multi orbés aliij clauduntur, & vna  
 Tellus, ac elementa, modo quo ſcripſimus antè.  
 Hic ſphæras alias à prima, iure tacemus,  
 Doctis Phænomenis multorum ex ordine notas.

*A ſummo  
 cœlo multos  
 orbés inclu-  
 di.*

Ergo hîc cœleſtis generatim ſit tibi picta:  
 Quam non abſurdè duplicem fecere priores:  
 Vna eſt obliqua ac decliuis, & altera recta.  
 Quod tumor, atque globus terræ præſtare videtur,  
 Ad ſenſum mutans ſphæra poſitumque, polòſque.

*Globum ter-  
 ra efficiere,  
 vt duplex  
 nobis ſit cœ-  
 li ſphæra.*

Quid ſphæra recta, & quânam propriè ſub  
 ea habitare dicantur. Adhæc, cur ita ap-  
 pelletur. CAPVT XXIII.

Quinam dicantur habere sphaerā rectam, & unde illa sic vocetur.

Quisquis vtrūque polum prospectat rite locatum  
 In finitoris labro, is censetur habere  
 Directam sphaeram, estque sub Aequatore repostus.  
 Cum quo Finitor sphaerales exhibet anglos  
 Ac rectos: id quod sphaeræ rectæ dare nomen  
 Iure potest: sub ea quotquot versantur, apertum  
 Vndique habent cœlū: ac illic numerantque, videntq;  
 Surgentes stellas omnes, omnesque cadentes.

Alia ratio nomenclaturæ sphaeræ rectæ.

Adde quòd his adsunt anno æquidialia toto,  
 Hicque vident Solem bis summum, bis capitalem,  
 Umbrarūque gerunt quinque ex ordine formas.  
 Non desunt etiam qui rectam dicere malint,  
 In qua verticibus polus imminet: iisque locatur  
 Ad perpendiculum: necnon Aequator habetur  
 Pro Finitore: estque illic reuolutio tota  
 Anni labentis, clausa vnâ nocte, diēque.  
 Nam senis hinc nox, & senis mensibus est lux:  
 Verūm erecta mihi hæc, potius quàm recta putatur.

Quid propriè sit recta sphaera.

Rectam alij censent meritò debere vocari,  
 Quòd Finitori incumbant axisque, polique,  
 Ad rectū positum: & cū Aequatē  $\mu\omega\sigma\mu\beta\epsilon\iota\omicron\varsigma$  anglū  
 Constituat rectum, ac sphaeralem, verticis ipso  
 In puncto exactè: quod sphaeræ non habet vllus,  
 Hunc præter, positus, veluti res ipsa docebit.

Quid sphaera obliqua: & quinam sub illa  
 propriè dicantur habitare. Ad  
 hæc, cur ita appelletur.

## CAPVT XXIIII.

**C**Vi polus vnus erit sursum, vergétque deorsum  
Alter, declini sphaera supponitur, vltra  
Aequantem, aut citra: velut ars demonstrat, iterque.

Quinam di-  
cantur ha-  
bere sphaerã  
obliquam  
& declinẽ.

Aequidialis ibi cum Finitore receptus,  
Obliquos angulos format: quotquot residebunt

Hic, coeli facies illis non tota patebit,  
Nec stellas omneis manifesta nocte videbunt:

Quoque magis sursum tendet polus, hoc magis infra  
Descendet cælum: crescetque dies magis illic:

Quæ non semper erit tenebris æqualis: vt vna est  
In recta sphaera, sicut monstrauimus antè.

Vis dicam paucis multa? obliquæ incolæ sphaeræ  
Agnoscit rectæ contraria singula, quando  
Aequantem longè relinquens, ad vtrunque polorum  
Accedit magis, vt ratio deposcit. ista  
Sat fuerint, nam sunt cælis compendia grata.

Incolæ obli-  
quæ sphaeræ,  
nihil com-  
mune habe-  
re, cum ha-  
bitatoribus  
rectæ sphae-  
ræ.



COSMOGRAPHIÆ ANTO-  
NII MIZALDI MONLVCIANI,  
Liber tertius.

*Parascene  
ad sequētia.*



AVCA quidem, sed magna tamen, vi-  
deo superesse,  
Musa, tibi: quid suspiras? dum sacra  
fauebit  
Vranie, pandētque viam, omnia tuta  
putato:

*Scribendorū  
enumeratio*

Nil cunctare igitur nobis ostendere paucis,  
Quemnam rite locum tenet inter sidera, quivis  
Circulus antē tibi scriptus, maiōrue, minorue:  
Et quā ducit iter: vel cuius imaginis ille  
Excurrit parteis: præsertim hoc tempore nostro.  
Hancce nouam doctis aperi, te quaeso, fenestram:  
Primāque quod nulli tentarunt, fortiter aude:  
Immortale decus dant parui sæpe labores.

*ΥΡΩΜΗ.*

Sex maiorum circulorum cœlestis sphaera de-  
signationes, & loca vt hodie in cœlo iacent,  
& ab aliis distingui possunt, Zodiaci in pri-  
mis.

CAPVT I.

**S**ignifer ex propriis Signis describitur aptē:  
Cui in Libra Aequator concurret, Lanigerōque.  
A borea

*A borea Cancrum, Capricornum tangit ab austro.  
Cætera percurret, si forsân scire laboras,  
Zodiacus nôster: sic libro nomen habetur.  
His ergo paucis contentus, cætera nôsce.*

*Zodiaci bre-  
uis circun-  
scriptio.*

*Aequatoris circuli designatio, vt hodie in cœlo  
iacet, & à reliquis distingui potest.*

CAPVT I I.

**H***ic vbi Lanigerum Aequator secat, haud pro-  
cul illinc,*

*Per caput incedit Ceti: & mox vngula Tauri  
Vtraque præcedens, ferme contingitur eîdem:  
Tum demum ex scapulis mediis refecatur Orion:  
Lactea deîde via, vnguiculis Procyõ quoq; flagrâs:  
Post hunc perreptat seuæ & longæ caput Hydra:  
Hincque pedes imos festinat adire Leonis.*

*Aequatoris  
designatio  
inter astra,  
ad partem au-  
strinâ, extra  
Zodiacum.*

*Hæc secat Aequator: vel saltem singula tangit  
Extra Signiferum, ac ipsis in partibus austri.  
Hunc intra, rigidi boreæ de parte, pererrat  
Virginis ille idem corpus, necnon Ophiuci:  
Et cum Lacte, Aquilam, cui Pegasus additur vnus  
De capite, & cauda Delphinus, Piscis & alter:  
Hic vbi Lanigerum repetit quâ venerat antè.*

*Designatio  
Aequatoris  
ad boream  
extra Zo-  
diacum.*

*Meridiani & Horizontis locus, ac designatio.*

CAPVT III.

**S***ignari nequeunt in parte meridianæ vlla,  
Et cœli visi, à non viso sector Horizon:*

Ni sit de forma, quam paulò scripsimus antè:  
Quod videas : nam sunt cycli plerunque fugaces.

Coluri Aequinoctiorum locus & designatio  
in cælo. CAPVT IIIII.

**C**Yclus hic, à summo nascentem vertice mundū  
Permeat, Arctophylaca petens per terga Dra-  
conis:

Hæc omnia  
ex caelesti  
globo ad un-  
guem descri-  
pto, intueri  
licet.

Extremamque secans Hydrā, mediūmque sub astris  
Centaurum, oppositum rursus percurrit ad axem,  
Hinc Cetum calcans, squamosaque tergora Ceti:  
Necnō Lanigerū, & Libram, clarūmque Trigonū,  
Andromedæque sinus imos, fastigia matris:  
Principiūmque suum, repetito hic cardine claudit.

Coluri Solstitiorum locus, & designatio in  
cælo. CAPVT V.

Duo isti cir-  
culi in qui-  
busdā globis  
caelestibusnō  
depingun-  
tur: in aliis,  
seruati sūt.

**I**N præcedentem cyclus hic procumbit ab axe,  
Pérque pedes, necnon ceruicem transfilit Vrsæ:  
Quam septem stellæ primæ, mox Sole remoto  
Producunt, nigrae præbentem lumina nocti.  
Hinc Cancrū à Geminis dirimit, stringitque flagrantē  
Ore Canem, clauūmque Ratis de vellere notæ,  
Inde axem aduersum per gyri signa prioris  
Opposita, atque alio rursus de limite tangit  
Te, Capricorne, tuūsq; Aquila, hic te calcat in astris,  
Pérque Lyrā inuersam currens, spirāsque Draconis,



Posteriora pedum Cynosura proterit illic,  
 Transuersam refecans vicino in cardine caudam:  
 Hic ubi se claudit tadem, memor vnde profectus.

Circuli Lactei, qui inter maiores cœli circulos  
 à plerisque recensetur, designatio, & locus in  
 cœlo.

CAPVT VI.

**C**irculus in cœlo manifestus nocte serena,  
 Necnon conspicuo candore notabilis. (ex quo  
 Lacteus Astronomis, iusta ratione, vocatur)  
 Inter maiores cyclos plerisque refertur:  
 Qui bene in aduersum positus succedit ad Arctos,  
 Et paulum à boreæ tractu sua fila reducit:  
 Transitque illustris per sidera Cassiopeæ.  
 Inde per obliquum descendens tangit Olorem,  
 Ac Aquilam, Telum, Serpentis denique caudam,  
 Temporâque æquantem cyclum, Zonâque ferentē  
 Solis equos, intra caudam quâ Scorpius ardet,  
 Necnon Cheironis summum, extremumque sagittæ.  
 Thuribulum petit hinc, Aram dixere vetusti:  
 Deinde suos sinuat flexus per crura, pedesque  
 Centauri alterius, rursusque ascendere cœlum  
 Incipit: Argiuamque ratem per aplustria summa,  
 Atque Canē à capite excipit: & Tropicū Capricorni  
 Dissecat: inde pedes lambens fratrum Geminorum:  
 Hic ubi Signiferum rursus perreptat, & vnum  
 Mox inuadit Erichthoniū: téque vnde profectus,

Lactei circuli, seu via lactea designatio pulcherrima.

De optimo globo hæc sunt colligenda.

Cassiopea petens, super ipsum Persea transit:  
Orbēmq; incēptum à te, in te concludere pergit.

Cyclus hic, vt dixi, est candore notabilis: vnde  
Non quærendus erit multum: nam lumina pulsat  
Sponte sua, seque ipse docet, cogitque videri.  
Vtque suos arcus per nubila circinat Iris,  
Mortalēsque rapit pulchra ad spectacula sursum:  
Sic super incumbens stellato in culmine, limes  
Candidulus, resupina facit mortalibus ora,  
Hōsque ad cælorum miracula prouocat Ultro.

Pulchra &  
sanè quàm  
apposita si-  
milando.

Ratio nomenclaturę Lactei circuli, qui Græcis  
est γαλαξία. CAPVT VII.

NON hīc celanda est fama vulgata vetustas:  
Olim de niueo lactis fluxisse liquorem

Fabulosa de  
generatione  
lactei circuli.  
Pectore Reginae Diuūm, cælumque colore  
Infecisse suo: quapropter Lacteus orbis  
Dicitur, & nomen causa descendit ab ipsa.

Alia ratio. An maior densa stellarum turba coronā  
Contextit flammæ, & multo lumine candet,  
Ac fulgore nitet collato, & luce refusa?

Ratio iterū  
alia. An fortes animæ, dignatāque nomina cœlo,  
Corporibus resoluta suis, & carcere fracto,  
Huc remigrant celeres, summūmq; habitātia tēplū,  
Aethereos viuunt annos, ac luce fruuntur?

Quarta ra-  
tio & opi-  
nio. An verò Phaëton currus auriga paterni  
Pessimus, aërios tractus incendit, & illis,

*In signum genitor vestigia nota reliquit?  
Sed hæc ad Græcos redeant fragmenta poetas:  
Et cœptum repetamus iter, fœlicibus astris.*

Quatuor circulorum minorum cœlestis sphaeræ,  
locus & designatio: Arctici in primis, siue bo-  
realis. CAPVT VIII.

**A** Rcticus, à binis vocitatus circulus Vrsis,  
Ex toto Cynosuram includit: deinde Draconem  
Partitur medium, Cepheumque, hinc Cassiopeam  
Tantillum attingens, nec non Helices caput, à quo  
Hunc extra cyclum spectatur tota iacere.

Breuis de-  
scriptio Ar-  
ctici circuli.

Tropici Cancri designatio & locus, vt nunc  
in cœlo iacet. CAPVT IX.

**P** ER caput, & dorsum constat transire Leonis  
Hunc cyclum, Arcturumque ferire ad fœmina,  
nec non

Serpentis rictum: poteris cui iungere rectè  
Engonasis humerum, dispersaque semina Lactis:  
Ac alam Cygni: post quam se Pegasus offert  
De crure, et cubito Andromede pulcherrima Virgo,  
Nec non & Piscis gelidas qui vergit ad Vrsas:  
Deltatónque fere, queis addes cornua Tauri,  
Cum Geminis: Cancrum hinc repetès, se colligit illic.

Circuli sol-  
stitialis pro-  
prius inter  
astra locus.

Tropici Capricorni designatio & locus,  
vt hodie in cœlo iacet. CAP. X.

Brumalis  
circuli desi-  
gnatio inter  
sidera.

**A**Egocœra patrem cognoscit circulus iste:  
Pérque pedes transit Fusoris, & illius vndam,  
Hinc Cetũ à cauda, Eridanũ, Leporẽmq;, Canẽmq;  
Maiorem truncans: dein riuum Lactis, & Argo,  
Hydrã præterea seuam: cui desuper astant  
Crater cum Coruo: petit illinc Scorpion, ac mox  
Cheironis caput, extensũmque arcum, atque sagittã:  
Hic vbi curriculum cœptum concludit ad vnguem.

Antarctici circuli designatio & locus.

CAPVT XI.

Circuli An-  
tarctici desi-  
gnatio non-  
dum cog-  
nita.

**N**on constat, nec scitur adhuc, Antarcticus iste  
Circulus, vnde queat certò describer: & sunt  
Qui Arctoum dicãt per cuneta referre: quod vnũ  
Nos doceãt, videãtque, precor, qui partibus illis  
Explorant pelago terras, cœlũmque remotum:  
Quanquã, qui Aequanti subsunt, discernere norũt.

ADMONITIO in superiora.

**N**olim te lateat, quòd erunt aliquot reuolutis  
Hinc seclis, omnes scripti positũsque, sitũsque  
Cyclorum cœli maiorum, siue minorum,  
In longè varia signorum parte, locòque,  
Quã tibi sit dictũ: nam sidera quæ modò formas  
Constituunt, per quas decurrit linea cyclum

Describens, sedes immutant: nanque per annos  
 Centum, cuncta gradu vno, à sede priore recedunt,  
 Incessu proprio, tardo, lento, atque remisso,  
 Signiferi in longum numeratis partibus: in quo  
 Si perstant, sedes positas, mihi crede, relinquent  
 Quotquot sunt cycli, quos paulò scripsimus antè:  
 Verùm hæc ad nostros referatur cura nepotes.

Circulos omnes  
 cels, ve-  
 tustate loga  
 sedes ac loca  
 mutare.

Quòd Mundo, de quo hæctenus scriptum, ap-  
 positè quadret Sphæræ nomen: ipsùmque  
 Vniuersum Sphæra mundi rectè vocetur.

CAPVT XII.

Corpus quod solidum est, & clauditur vna  
 Rite superficie, Astronomis id Sphæra vocatur:  
 In cuius medio est punctum, à quo semper ad ipsam  
 Vsque superficiem, si multas limite recto  
 Ducas lineolas, æquales vndique surgent  
 Inter se: velut ars demonstrat, & indicat vsus.

Sphæra dif-  
 finitio, &  
 quòd Mũdo  
 vniuerso il-  
 lius nomen-  
 elatura ap-  
 positè qua-  
 dret.

Quãdo igitur mūdus, solidū, plenūq; (quod ipsa  
 Detrectet vacuum natura) agnoscitur esse  
 Corpus, perfectè, ac ex omni parte rotundum,  
 In cuius medio, ceu centrum, terra locatur,  
 (Vt tibi perspicuè & fusè monstrauimus antè)  
 Hinc verè Mundi totius machina, Sphæra  
 Nomen habet, de qua hæc paucis scripsisse, satis sit.

## GEOGRAPHICA QUÆDAM

EX SUPERIORIBVS PENDEN-  
tia & colligenda.

Quinque Zonarum terrestrium, quæ totidem  
parallels circulis in cœlo respondent, &  
præcipuas mundi regiones constituunt, de-  
scriptio, temperatura, ac situs, iuxta veterum  
traditiones.

CAP. I.



Quinque parallelis, vt scripsi, cingitur  
orbis

Cœlorum: atque plagæ totidem tellure  
premuntur:

Quarum quæ media est, vix est habi-  
tabilis æstu:

*Temperatu-  
ra zona me-  
dia, quæ vul-  
gò torrida  
solet dici.*

*Zonarum  
duarum ex-  
tremarum,  
& quæ illis  
sunt proxi-  
mæ vtrin-  
que, tempe-  
ratura.*

*Semper Sole rubens, & torrida semper ab igni.  
Vnde hîc vruntur, siccisque teguntur arenis  
Deserti, tetro serpentum afflamine, campi,  
Vt tradunt veteres: sed quos deridet aperte  
Horum qui migrant illuc sententia: quiue  
Per mare discurrunt variè, & noua regna salutant.  
Namque die, valido quod Phœbi incanduit æstu,  
Humida nox reficit, paribusque refrigerat horis:  
Præsertim sub cyclo Aequante, & circiter illum:  
Vt tibi paulò post clarè monstrare studebo.  
Quæ cœli extremis subsunt, dextræque, sinistra,  
Perpetua glacie horrescunt, ac nubibus atris:  
Has inter, Tropicosque, duæ, pro munere Diuum,  
Cesserunt*

Cesserunt homini, atque ibi viuere posse dederunt:  
 Quadam temperie, mixta cum frigore flamma,  
 Fine, & principio, parua: ad medium, mediocri:  
 Hanc nos incolimus, contrâq; Antichthones illam:  
 De quibus hicce locus me inuitat scribere pauca.

De Antichthonibus, qui vulgo Antipodes  
 dicuntur. CAP. II.

**A**ntipodes Græcis, necnon Antichthones, hi sunt  
 Qui plantas nobis obuertunt ex diametro,  
 Ac summè opposita nobis tellure fruuntur.  
 Et quamuis habitent, vel agant sub vertice cœli  
 Nostro persimili, eodè Finitore deorsum,  
 Atque *μεσονύκτιον* utantur (ne credito nugus)  
 Atque parallelo, à simili Aequatore remoto,  
 His commune tamen nil prorsum agnoscimus esse  
 Nobiscum: quod sic paucis ostendere pergo.

Cum Sol estatem nobis vehit, opprimit illos  
 Tristis hyems: quando lux periuicunda, dièsque  
 Nos visit, tenebrae somnos his undique suadent:  
 Dum nobis oritur Phœbus, tunc occidit illis,  
 Et contrâ: rursus, quoties longissima nobis  
 Lux fulget cum nocte breui, longissima nox est  
 His cum luce breui: in summa, contraria seruant  
 Cuncta, licet fiant vna & simili ratione:  
 Sed nunquam simul, ac pariter, me iudice, rectè,  
 Ut spectare licet solido de corpore sphaeræ.

Quinã di-  
 cendi Anti-  
 podes &  
 Antichtho-  
 nes.

Antipodes  
 nihil prorsus  
 commune nobiscum  
 habere, de-  
 monstratur.

Sphæra solida  
 & mate-  
 rialis neces-  
 saria in his.

Antipodes reuera esse, contra multorum opinionem. CAPVT III.

Demonstratio quòd reuera sint Antipodes.

**A**ntipodes verè norunt, ac esse fatentur  
 Qui soluunt ex occasu, veniuntque per ortum  
 Ad dites Indos, & fama ac nomine notam  
 Tapprobanam rebus pretiosis nobilitatam,  
 Rursus in occasum redeunt, orbe peracto.

Necnon qui à borea, exploratis ordine Zonis,  
 Austrino tentant axi supponere sese:

Quod dum perficiunt, sataguntque explere, profectò

Nauigantes multa videre ac experiri.

Quàm sit diuersa in rebus natura creandis,  
 Et quàm diuerso mutantur tempora tractu,

Agnoscunt, seu mores, victum, aut aëra spectes.

Nullas hodie terrestres Zonas, siue mundi partem, inhabitabiles dici debere. CAP. IIII.

**C**redibile est, quòd terra habitatur tota: nec vllus  
 Est locus, aut Zona vlla, in qua non viuere possint

Mortales, aptasque sibi componere sedes:

Sit licet immodicum frigus, vel maximus aestus,

Naturam non deesse in necessariis.

Illic aësidue: natura vbi tristia fixit

Leta adhibet, crebrò miscens aduersa secundis.

Atque vbi dat morbos, medicamina debita gignit.

Ergo, vbicunque calor summus reperitur, ibidem

Vel vasti montes, vel frigida flumina, & aëdes,

Aut syluæ vmbriferæ, & multis cū fontibus amnes,

Quenam redant Zonam mediam habitabilem.

Deinde specus multi, loca subterranea multa

Hic sunt, quæ possunt homines defendere ab aestu.



Adde quòd ferme illic est nox æqua diei,  
 Quæ Solis radios equato frigore frenat:  
 Vnde fit, vt Zonam mediam non esse putemus  
 Desertam omnino, multos sed habere colonos,  
 Arte, ac ingenio, & naturæ munere tutos.

Zona media  
 populoſa.

Zonæ etiam extremæ, quas non habitariet aiunt,  
 Aſiduis niuibus præſſas, glaciéque perenni,  
 Poſſunt rite coli: vt ratio non lubrica ſuadet:  
 Maxima nanque locis lignorum copia in illis  
 Naſcitur: & ſiunt illic hypocausta, grauésque  
 Veſtes, ex variis animantum pellibus: vnde  
 Frigora propulſant homines, hyemique reſiſtunt:  
 Innumeris que modis glacies eludere norunt:  
 Congrua non etiam deſunt alimenta, cibósque  
 Indigenas partim, partim illuc vndique vectos  
 Accipiunt largè: & quæcunque augere calorem  
 Internum, externúmque valent, ſibi ſedulò quærüt.

Zonas ex-  
 tremas poſſe  
 habitari,  
 manifeſtè de-  
 monſtratur.

Non igitur verum eſt, quod nos priſci docuerunt,  
 Vnius tantum Zonæ partem, exiguamque,  
 Naturam humano generi tribuiſſe colendam:  
 Et reliquum terræ deſertum prorsus, ab ipsis  
 Piſcibus, atque feris, duntaxat ſemper haberi.  
 Ah, foret indignum certè hoc: Natura minoris  
 Feciſſet nos, quàm bruta: imperiúmque dediſſet  
 In terris maius, quàm homini, & ſpacioſius illis.  
 Quare, ſiqua fides adhibenda eſt vera loquenti,  
 Haud dubiè tellus tota eſt habitabilis, & nil  
 Obſtat quin poſſint mortales viuere vbi que:

Pulchra phi-  
 loſophia, &  
 lectu ſummè  
 digna.

Terræ vbi-  
 que poſſe ha-  
 bitari.

*Naturæ auxilium in rebus non deficit Vllis,  
Ingeniũque hominis durissima quæque refringit.*

De mundi climatibus, & illorum distinctioribus  
parallelis geographicis, cum recepta cuius-  
que nomenclatura: & quod plura climata, quæ  
septem statui debeant. CAP. V.

Quidnam  
sint propriè  
climata.

Climatũ va-  
tio & distri-  
butio.

Medius ter-  
re locus sub  
Aequatore.

Septem cli-  
matũ ordo  
& nomen-  
clatura, ex  
antiquis.

**C**limata dicuntur terra intervalla, duobus  
clausa parallelis, quibus est descriptio sursum:  
Sed similis fingenda tibi, & formanda deorsum,  
Verũ, aliter quàm nunc de Zonis egimus: vnde  
Quisque parallelus horæ quadrante, propinquum,  
(Vt medius horis clima) exuperatque, fugitque:  
Si rectè numeres ex Aequatore, polorum  
Alterutrum versus: qui solus vbiq; diei  
Et nocti semper horas tribuit duodenas,  
Dum Phæbus proprio motu comprehenderit illum.  
Adde quòd hìc tractũ medium, mediã quoq; sedem  
Mundi cõstituunt, qui docta Mathemata tradunt.  
Si placet Astronomos veteres audire, sequique,  
Duntaxat septem numerabis climata, tali  
Ordine, per Meroen, per Niliacãmque Sienen,  
Et per Alexandri quæ nomen vendicat urbem,  
Pérque Hellespõrũ, atque Borysthenis ostia, pérque  
Riphæos monteis, quibus additur vltima Thule:  
Inde per arcti & contraria climata ponunt,  
Queis dant imparibus spatiis, noctesque, diesque.  
At non te fugiet, nos rectè climata plura

Tradere, ut esse solent varia incrementa dierum:  
 Maiorem ergo diem, vicenis atque quaternis  
 Horis, si constare dabis, qua parte polorum  
 Itur ad extrema, hinc tu septem climata tantum,  
 Non facies, sed, ut est par, vicena atque quaterna:  
 Quæ horas bisseñas ex Aequatore reportant.

Plura clima  
 ta ponenda  
 esse, quam  
 septem.

Hæc quanto propius veniunt ad utrunque polorum,  
 Tanto crede minora: quod hinc se sphaera coarctet,  
 Ac ibi sint tractus breviores, atque minores,  
 Quam sub cyclo æquante dies, vel non procul illinc,  
 Ob medium, ad quod quæ accedunt maiora videtur.

Climata es-  
 se versus po-  
 los minora,  
 quã ad Ae-  
 quatorẽ, ut  
 etiam paral-  
 lelos.

Si quotnam gradibus nunc à se climata distant,  
 Atque paralleli, vel ab Aequatore, reposcis,  
 Te ad libros mittã in quibus hæc traduntur ad vngvẽ,  
 Aut ad præclarum doctorem, perfacilemque:  
 Nam sunt quæ hic scribi nequeunt, contenta doceri.

Libros unã  
 cum docto-  
 re, multa  
 supplere pos-  
 se quæ scribi  
 nequeunt.

Locorum longitudines quomodo constitu-  
 endæ, & distinguendæ. CAP. VI.

**H**ic ego te nolim demum nescire, quod una  
 Linea, quæ terras Fortunæ excurrit, ab axe  
 Arctoo surgens, & in illum deinde (sed ipso  
 Dissecto in geminas partes Aequante) recurrens  
 Per cælum Antipodũ, quo tractu Sol venit ad nos,  
 Primum constituit, formãtque  $\mu\sigma\upsilon\mu\beta\epsilon\gamma\omicron\upsilon\gamma$ : à quo  
 Emanare solet distantia longa locorum,  
 Exortum versus properando, tramite recto.

Meridiano -  
 rum qui ló-  
 gitudines lo-  
 corum con-  
 stituunt ra-  
 tio et origo.

H ij

Sic per Vtrumque polum qua transit linea quæuis,  
Pérque loci punctum, qui Zenith dicitur, illa

Proprius et *Hic proprium cuius, verumque μεσημβριον adfert,*  
patrius cu- *Quem patrium agnoscit telluris qualibet ora:*  
susque loci *Vt præcedenti libro monstrare studebam.*  
meridianus.

Locorum latitudines quomodo excipien-  
dæ & distinguendæ. CAP. VII.

*Latitudines  
locorum mē  
surari per  
parallelos  
ductos ab  
æquatore ad  
alterutrum  
polorum.*

**I**D spatium latum est, quod ab Aequatore recedit  
Ad boream, sursum: vel ab austri parte, deorsum:  
Donecerit ventum sub punctum verticis, ipsum  
Sive μεσημβριον qui punctum hoc truncat ad vnguē.  
Elatique poli gradibus respondet vbiq̄ue:  
Sicut nos fuscē, & multis monstrauimus antē.

De gradibus longitudinum seu meridianorum,  
& quot horis in terra respondeant, geogra-  
phica quædam CAP. VIII.

*Quindecim  
gradus cæli,  
mensurari  
hora vna in  
terra.*

**Q**uemque μεσημβριον censent superare propinquū,  
Quindenis gradibus: qui reddunt protinus  
horæ  
Vnius spatium: quantoque μεσημβριος exit  
Longius à medio nocteis æquante, diēsque  
Orbe, magis cōiens geminum angustatur ad axem:  
In quo dum terras metiris, sedulus esto:  
Et semel, atque iterum quæ sit proportio quære:  
Tantisper dum nos meditabimur hoc tibi scriptum.

De gradibus latitudinum, seu parallelorum,  
geographica quædam. CAP. IX.

Quisq; gradus sub cyclo Aequante, & non nihil  
ultra,  
In latum, stadiis respondet ubique locorum  
(Ni fortasse polos versus, vel ad ultima mundi)  
Quingentis, nisi sit Prolemaus vana loquutus:  
Quem legat, et relegat cui docta μαθήματα rident.  
Inde, polos versus variat mensura, modusque.  
Sed mensurarum tu hic nomina, fortè, requires:  
Quæ magnos vsus, & maxima commoda, rebus  
His adferre queunt: ne quid tibi velle negare  
Me dicas, facile, ac paucis, aduerte, docebo.

Vni gradui  
magni circuli  
in celo  
respondere  
quingenta  
stadia in terra:  
seu leucas 31. Gallicanas, serè

Geographicarum mensurarum nomenclaturæ aliquot. CAP. X.

Ex hordei granis, Digitus fit, quattuor, vnus,  
In latum positus, seque attingentibus, ipso  
Præcipuè ventre: vt res postulat, & docet vsus.  
In Palmo digitus quater est: quater in Pede palmus.  
Passum quinque pedes faciunt: passus quoque centum  
Quinque ac viceni, Stadium dant: Mille, repostum est  
In stadiis octo: duplicatum dat tibi Leucam  
Nostratem: aut duo, si sic maui, millia. Quidquid  
Scribendum restat, vna tibi voce magister  
Exponet: necnon doctissima scripta virorum

Quid geographicus  
Digitus,  
Palmus.  
Pes.  
Passus.  
Stadium.  
Miliare.  
Leuca.

Qui res cœlorum tractarunt lege soluti:  
 Nam, ut suprâ monui, non omnia possumus omnes:  
 Nec quocunque loco possunt rectè omnia scribi:  
 Addam quòd breuitas cœlis gratissima res est:  
 Necnon & doctis, qui magna, ac seria tractant.  
 Hi, si nostra probant, satis est: quid rustica latret  
 Turba, parum curo: nam eius laus, dedecus ingens  
 Personat: à doctis laudari, est gloria summa:  
 Quod mihi dignetur concedere Christus IESVS.

Prestantius  
 esse laudari  
 à doctis,  
 quàm ab in-  
 doctis.

COSMOGRAPHIÆ ANTO-  
 NII MIZALDI, FINIS.



# ENCOMIUM DOCTI

ASTRONOMI, ET PERITI

*rerum cœli Interpretis, Asclepiadeo*

*choriambico monocælo*

*contextum.*

AVTORE ANTONIO MIZALDO

MEDICO ET MATHEMATICO.



EMPER visa fuit conditio mihi  
Perdocti Astronomi, non reliquis modò  
Maior, sed melior, splendidior quoque.

In primis, studium, curâque sordida  
Terrarum, non potis est flectere ad infima  
illum: sed vehitur summus in æthera,  
Sublimi feriens vertice sidera:

*Laus docti  
Astronomi à  
neglectis for-  
tuna bonis.*

Illic vt liceat viuere cum choro  
Diuinæ Vranæ mille modis sacro:  
Qui, tanquam miseros esse procùl iubet,  
Quos auri rutilans illaqueat nitor  
Blandis funiculis, mortiferis tamen:  
Quos ingens grauitas præpedit altiùs  
Reptare, ac potius consequier bonum:  
Et quos magnificæ nobilitant opes:  
Quos sætu reditus multiplici fluens,  
Quos distenta nouis horrea frugibus,  
Quos vino valido vasa tumentia,  
Quos mensæ dapibus pontificalibus  
Instructæ celebrant, ac populariter  
Acceptos faciunt, atque foris beant:

*Nihil com-  
mercij cælo  
cum volu-  
ptatibus.*

*Fortune cū  
cælo malè  
conuenire.*

*Felix ad-  
modum A-  
stronomi cō-  
ditio.*

*Pulchra si-  
militudo &  
summè no-  
tanda.*

Hos (inquam) Vranæ sidereus chorus,  
Ceu telluris onus, cælitibus nimis  
Inuisum, refugit, fulminat, expuit:  
Queis, vel iure bono, connumerabimus  
Hircorum, atque suum sordidulos greges:  
In quorum stabulis præcipuam tenent  
Sedem, molliculi Sardanapalij:  
Necnon ventricolæ mille Epicurij:  
Qui cælum spoliant viribus, & Deum  
Non curare homines turpiter astruunt,  
Dum Baccho & Cypriæ sacra perimpia  
Nocteis atque dies perpetuant: nihil  
Ducentes melius, nobilius nihil,  
Post vanos titulos, vanaque nomina,  
Et dona instabilis perpetuò Dea:  
Quæ florent hodie, fluxaque cras iacent.  
Se non Astronomus talibus impedit:  
Qui cum cælitibus cælica possidet  
Felix regna: quibus (turre velut situs)  
Quàm circo positas res hominum breui,  
Quàm clausas humili valle procùl videt!  
Quàm ridet miseros terricolas! Deus!  
Quantis inde malis hos notat affici?  
Et quot mortiferis cladibus impeti?  
Quot furtis, gladius, disidiis, dolis,  
Vnumquemque alium persequer? bene  
Dum sursum residet tutus in æthere.  
Sic est Astronomus Cæsare, siue quid  
Illo maius habes, mille beator  
Causis, mille modis maior, & altior.  
Vt cælo volitans sub folio Iouis  
Per Phœbi radios Rex auium, solet  
Deorsum tardigradas temnere cochleas,  
Muscas, vermiculos, puluereum situm:  
Sic summum volitans summus ad æthera  
Dum vul: Astronomus, despicit infima:  
Ac vileis hominum ridet ineptias:  
Et quæ constituunt eximiè bona



Multi terrigenæ, diuitias, togam,  
Fastus purpureos, cornigerum caput,  
Nec non mille tibi cognita, negligit:  
Affectans aliud nobilias bonum.

Non hunc chara soli detinet arca,  
Non gemmæ, aut lapidum splendor amabilis  
Huic auferre potest sidereum iubar:  
Non vani tituli, somnus & ocium:  
Aedes marmoreæ, pulchra palatia:  
Seruorum strepitus, millêque fercula.

Is castæ Vranix discipulus, parum  
Re vera ista facit: noscere sat putans  
Motus sidereos, vim Senis algidi,  
Vim faustæ Veneris, Mercurij quoque:  
Quid cum Maite ferat Iupiter aureus:  
Quando bella cadent: cur premat anxia  
Illum pauperies: huic diademata  
Quem finem referent: quid statuent equi  
Tingentes rutilos ad mare Athlanticum  
Soles: adiiciet quæ mora noctibus  
Tardis obstiterit: rursus vbi ignea  
Aestas emicuit, cur breuioribus  
Nox adsit tenebris, lux eat amplior.

Quid porro exoriens, & pariter cadens,  
Mundo flammivomus Seirius imprimet:  
Et quid Pleiades, quid Hyades, simul  
Arcturus, Procyon, Hædulus, & Lyra,  
Ac Præsepe, & Oriónque, Coronaque.  
Hæc cuncta Astronomus dum bene percipit,  
Dum tot perfruitur commoditatibus,  
Non eius studium, gloria, dignitas,  
Sors, & conditio nubibus obtegat  
Splendores alios, iurêque destruit?

Hæc sunt magna quidem, sed nihil, aut parum  
Admiranda putes, si modò quæ dabo  
Spectas: Astronomus mille, vel ampliùs,  
Annis antè, potest dicere quo loco  
Eclipses populum concutient metu:

I ij

*Hæc legant  
ambitiosi  
mortales.*

*Astronomus  
alter homo  
quàm mor-  
talis.*

*Reverum cæli  
Philosophi  
incredibilis  
& summa  
felicitas.*

*Cælum do-  
ctus Astrono-  
mus peritum  
esse.*

*Astronomus  
peritus &  
doctus, alter  
re vera Pro-  
pheta.*

Et qua parte poli prospiciet queant:  
 Queis exinde plagis, aut regionibus  
 Mundi, & qua facie parturient mala:  
 Quonam mense cadent: quis color imminet:  
 Et quàm longa premét damna: quibus modis:  
 Non per bella, famem, pestiferam luem:  
 Aut morbos alios: per pluuias, gelu,  
 Ventorum rabies, intolerabilem  
 Aestum: præterea, non ferientur his  
 Aut bruta, aut homines: quæ bene singula  
 De ipsis aëriis ignibus, & vagis  
 Crīnitis, etiam sedulo iudicat.

*Mira præui-  
 sio Astrono-  
 mi.*

Addo, quòd latitans tempora dicere  
 Scit, queis veliuolum Luna tumescere  
 Compellet pelagus, mōxquē quiescere.  
 Scit terræ vnde tremor, quando futurus est,  
 Et quando illuuiēs: fulmina stridula  
 Dum nubes parient: quando tonitrua  
 Surgent: quando niues, quandōue grandines:  
 Et quo mense cadent, vel potius die:  
 Qui mores hominum: qui steriles erunt  
 Anni: qui Cereris munere, diuites

*Ex his colli-  
 ge, Astrono-  
 mum (siqui-  
 dem volet)  
 diuitem fie-  
 ri posse.*

Reddent agricolas, mustāque porrigent:  
 Quæ stellæ pluuias, flamina quæ dabunt:  
 Necnon & nebulas, sudāque tempora:  
 Arctoum Bōream, cum madidis Noti  
 Pennis, & Zephyrum floribus vtilem:  
 Euri viuificos denique spiritus  
 Cælum quando suis motibus adferet,  
 Cum ventis fociis, & lateralibus,  
 Seu terram peragres, seu mare nauiges.  
 Sic est Astronomi gloria maxima,  
 Ingens præterea laus, decus, ac honor.

*Altera simi-  
 litudo pul-  
 chra & ele-  
 gans.*

Vt Solis radians igniferi iubar,  
 Stellas, eximio lumine fulgidas  
 Non dicam superat, sed remouet procul  
 Ex nostris oculis, obtenebrat quoque:  
 Sic docti Astronomi conditio sacra,

Et splendor rutilans (inuidiæ locus  
 Hic absit) titulos, magnificè graueis,  
 Et vulgi phaleras confepelit: necnon  
 Obscuris tenebris voluit, & implicat:  
 Is, quod nemo potest, vrbibus exprimit  
 Qui morbi immineant, & quibus irruent  
 Anni temporibus, qualis hyems erit,  
 Quid ver arboreis floribus aduehet:  
 Aestas quid segeti, denique vitibus  
 Autumnus quid alet, de vario situ,  
 Aspectu, radiis, motibus, impetu  
 Astroꝝ: quibus est imperium datum  
 In res quas gremio terra capit suo,  
 In res aërias, res pelagi quoque:  
 Quis addes hominum corpora, sicuti  
 Nos diffusè aliis perfequimur libris.

Hæc, inquam, Astronomus præuidet: vnicus  
 Re vera sapiens: excipio rudes,  
 Plebeioꝝque aliquot, Mercurio bene  
 Irato genitos: qui leuiter nimis  
 Res cœli maculant, experientia  
 Nil, vsus minimùm, iudicij parum  
 Aut fortasse nihil, præterea minùs  
 Artis (proh hominum, pròhque Deùm fidem!)  
 Callentes. sed in his plus fatis immoror:  
 Expertum Astronomum, nec populariter  
 Edoctum repeto: qui ad numeros vocat  
 Stellæ, & proprio nomine quamlibet  
 Compellat, proprio collocat & loco:  
 Dicit quot breuibus nocte micent notis:  
 Magnarum quota sit prima, secundæve:  
 Quo quaerenda modo quælibet: indicat  
 Quæ mensura polis, quanta profunditas:  
 Immensum spatium æthera diuidit:  
 Formas in varias sidera colligit:  
 Huic semper superi regna patent Iouis:  
 Hunc Dij symphosis, ac epulis suis  
 Quando vult adhibent: hunc adamant, ei

I iij

*Astronomus  
 doctus, reue  
 ra magnus  
 ac sapiens.*

*Res cœli oēs  
 docto Astro  
 nomo aptas  
 esse ac expo  
 sitas.*

Perdulcem ambrosiam, & nectar inebrians,  
 Cœlestesque dapes sedulo proferunt:  
 Paucis, hunc decorant, & variè beant:  
 Vnde est Astronomi conditio boni,  
 Et fors æthereis edita sedibus,  
 Non dicam reliquis nobilior, sed &  
 Maior, ditior, ac magnificentior.

*Doctum Astronomum  
 recreationibus non carere ullo tempore, dum versatur in cœlis.*  
*Venatio in cœlo.*

Dicet fortè aliquis, quòd caret omnibus  
 Quæ corpus recreant, ac animum fouent,  
 Solers Astronomus, sidereas domos  
 Lustrans, suspiciens, perpetuò colens:  
 Hunc cœli exhilarant innumeris viis:  
 Huic dant mille modos, millèque machinas  
 Laxandi ingenij. vis sequier feras?  
 Mox venator adest dexter, & impiger  
 Sylvarum Artophylax incola: qui duas  
 Vrsas, & Leporem peruolucrem dabit,  
 Armentique patrem deteget eminus:  
 Ac arcu, & iaculis te quoque munit:  
 Ardentesque Canes illico seliget:  
 Quorum dente cadent & Lupus, & Leo:  
 Aurigas & Equos, Plaustraque proferet:  
 Queis vel difficilem conficies viam.

*Aucepsium.* Auceps si fieri fortè moueberis,  
 Corui illic, Aquilæ, Vultur, Olor, volant.

*Piscatio.* Gestis insidias tendere piscibus?  
 Huc translatus aquis Eridanus suis,  
 Multos ac varios sedulò congeret:  
 Vt Cetum taceam cum regradario  
 Cancro; præterea Pisciculos duos,  
 Aut tres (si notium connumeris eis)  
 Delphinumque, maris, deinde poli decus.

*Digladatio* Si fortasse iuuat digladiarier,  
 Orion rutilans ensifer irruet.

*Navigatio.* Si contra studeas æquora scandere,  
 Argo nauis erit, magnaque fusio

*Rusticatio.* Vndarum. gregibus vis operam dare?  
 Hircum, Lanigerum, cornigerum Caprum,

Vel dicto citius conspicies ibi.  
 Cum summis ducibus, principibus quoque  
 Versari fatagis? perfacili manu  
 Iunges, ac socios efficies tibi,  
 Cepheum peruigilem, magnanimum Hercule,  
 Necnon historiis Persea cognitum.

Ten' blando alloquio femina, splendido  
 Aspectuue capit? se offeret illico  
 Formosa Andromede, Cassiopeaque.  
 Vis gustare Diis nectar amabile?  
 Cratera inuenies mellifluum. placet  
 Cantu, vel moduliste, simul & tuum  
 Restaurare animum? percelebris Lyra  
 Orphei, mox oculis profiliet tuis.  
 Affectas superis sacrificare Diis?  
 Illic Ara patet. frigora pellere  
 Exoptas? varij (conticeo Focum)  
 Ignes, viuificis vsque caloribus  
 Sursum perpetuo lumine splendant  
 Noctes atque dies, infima, summaque  
 Lustrantes, vegeto denique spiritu  
 Afflantes. quid habes, aut petis amplius?  
 Rex ambis fieri? coelica numina  
 Te ornabunt rutilo mox diademate.

Vis cum candidula virgine, dulcibus  
 Verbis, tristitias excutere ingeni?  
 Coelum rite dabit. cum pueris cupis  
 Ludis atque iocis ocia fallere?  
 Surgent Tyndaridæ sedulo paruuli.  
 Vis cum doctiloquis, & grauibus viris,  
 De regno, Itudiis, militibus, foro,  
 Castris, diuitiis, corporeis bonis,  
 De rebus medicis, rebus agrestibus,  
 De legum placitis, atque mathesibus,  
 De sacra lophia, mechanicis quoque  
 Disceptare? tibi mox aderunt, senex  
 Saturnus, Venus, & Iupiter optimus,  
 Necnon Mercurius, Cynthia denique,

*Aulicorum cō-  
 uersatio.*

*Amatoria  
 in caelo.*

*Cōpotatio.*

*Musica.*

*Sacrificatio.*

*Dominatio  
 & potestas.*

*Delectatio.  
 Ludi &  
 ioci.*

*Omnium disci-  
 plinarum, &  
 artium officia  
 in caelo.*

Et Mars, Phœbus item, turbâque plurima  
Patrum cœlicolûm, docta, vetus, bona,  
Quæ promptè, & modico tempore, quod rogas  
Facundè expedit. vis tibi pingier

*Omnis geo-  
metria in  
cœlo.*

Cyclos, lineolas, puncta, triangulos,  
Orbeis, aut aliud tale? mora breui,  
Cœlum quidquid id est proferet. insuper,  
Odisti tenebras? nil nisi lux micat  
Sursum. vis rutilas, vis oculis tuis

*In cœlis splē-  
dida omnia  
ac nitida.*

Gemmas de radio non tolerabiles?  
In cœlo resident milia milies.  
Quiduis fiderei regia fert poli.


Prudentem Astronomum participem sui  
Reddit consilij Iupiter: hunc suam  
Mentem sapè docet, certâque signa dat,  
Quæis tanquam trutinâ singula ponderet  
Quæ sunt, præterierunt, venient quoque.

*Astronomû  
omnia Deo  
accepta re-  
ferre: quem  
ex suis opi-  
bus venera-  
tur ac ado-  
rat.*

Sed finem facio, dum modò dixero.  
Tantas Astronomum res domino Deo  
Acceptas positâ ferre superbiâ:  
Quarum notitiâ, transit ad illius  
Veram notitiam. Dic, quid habes, homo,  
His maius, melius, magnificentius?  
Nil sanè, ergo mihi perpetuò bene  
Visa est Astronomi conditio probi  
Et docti, reliquis esse beator,  
Ac præstantior, illustrior, altior,  
Maior, splendidior, nobilior quoque.

FINIS ENCOMII DOCTI ET  
*periti rerum cœli interpretis, seu Astrologi, auto-  
re ANTONIO MIZALDO, Medico &  
Mathematico, Lutetie.*











E567  
M685d

